ISTI[1] SVNT FORI[2]

COMPOSITI[3]

IN EXEA.[4]

SIVE

FORI[5] EDITI[6] APVD EXEAM.

[VI.*Kal.Maii. Ann. Chr.* M.CC.LXV.[7]]

QVORVM TITVLI SVNT.

NOs[8] Iacobus[9] Dei gratia[10] Rex Aragonum,[11] &c. Statuimus[12] & facimus,[13] ac etiam ordinamus[14] Foros nouos[15] apud Exeam.

RELATIO QVA VTIMVR. *Statuit*[16] *Rex Iacobus, & fecit Foros nouos apud Exeam.*

NOTÆ.

1. In Ms.Cod.vetustissimo de quo *in Commentario*, tita hic Ti.legitur *fol.m.*75.
2. *Fori.* Sic à *ferendo* in publico auditorio melius fortè quam vel à *Foroneo* Rege, vel à *fando*, vt aliis placuit, de quo dixi *ad Procem.Foror.*Ann.Chr.1247.
3. *Compositi.* i.e. *editi, ordinative*, vt *infrà*.
4. *In Exea.* De Exea vide plura *in Topographia.*
5. In Ms.antiquis quibusdam, editisque omnibus Codicibus ita Tit.hic siuè Rubrica inscribitur, vt etiã in Obs.Ms.editisque *lib.9.tit.2.fol.*38. & in Vlt.Compilat. *in initio* inter Curiar.Procem.
6. *Editi.* i.e. *compositi*, vt supra dicuntur, siue *ordinati*, vt *infra*, aut *dictati*, vel *traditi*, vt in *leg.Si quis 6.ff.de edend.*
7. Curiarum huius Anni memores sunt Surita *Annal.lib.3.cap.65.66.& 67.*& *in Ind. Latin. hoc ann.* Blancas *in Comment.rer. Arag.pag.m.*656.Bernardinus Gomezius *in Vit.Iacob.Reg.lib.16.in fin.* & in eiusdem *Hist.Hisp.d.lib.61.cap.21.& 14.*cum aliis.
8. In Ms.Cod.cuius *sup.n.1.* meminimus, ita Procemium hoc legitur.
9. De *Iacobo* vide plura *in Posopographia.*
10. De hac formula inuocationis diuinæ dixi *ad Procem.Foror.*Ann.Chr.1247.
11. De Aragoniæ Regno vide etiam plura *in Topographia.*

12. *Statuimus*, i.e. deliberata nostra voluntate *constituimus*, *edicimus*, *decernimus*, & firmiter, ac *stabiliter* (vnde ita forsàn dictum) *ordinamus*, ac *noviter inducimus*, ea omnia vi verbi sibi vendicante, de quo *in Commentario*.
13. De hac voce etiam plenè *in Commentario*.
14. Hinc Ii Fori *ordinati*, aut *compositi* dicuntur *vt suprà*.
15. *Nouos*, i.e. tunc primum editos, & à compilatis ab eodem Iacobo Rege Oscæ Ann. Chr. 1247. prorsus diuersos, de quo & *in Commentario*.
16. In Ms. antiquis quibusdam, editisque omnibus Codicibus ita Proœmium hoc abbreuiatum refertur, vsque ad novissimam Compilationem, qua nunc vtimur, in cuius initio totidem etiam verbis inter aliarum Curiarum *Præfationes*, siuè *Proœmia* legitur.

COMMENTARIVS.

I. FORI *isti compositi in Exea*, omnium quotquot existunt ARAGONENSIVM FORORVM antiquiores sunt, illis demptis, quos sacro Epiphaniæ festo die Ann. Chr. 1247. idem Iacobus Rex conventui Procerum, & Ciuitatum, Oscæ assidens, ex patriis legibus, ac venustioribus Regni scitis, atque institutis, in vnum corpus redegit, promulgavit, atque sancivit. Vtque eorum expositionem fœlici aggrediar sydere, præmissa iam Aragonensium rerum Historia ab Ann. Chr. CC.XLVII. suprà M. vsque ad Ann. Chr. M. CC. LXV. in quo *in Exea Fori isti compositi* fuerunt, i.e. dictati, traditi, editive vt in *l. 6. ff. de edend.* dicitur; *in Exea*, inquam, nobili Vasconum Oppido, ac de quo plenê dicam etiã *in Topographia*; præmittẽdum quoque est, eundem Iacobum Regem, auspicato, de more, à diuinæ gratiæ invocatione suì operis initio, de quo alibi iam latê; *statuisse*, i.e. deliberata sua voluntate constituisse, edicxisse, decreuisse, & firmiter ac stabiliter (vnde ita forsan dictum) ordinasse, ac nouiter inducxisse, ea omnia vì verbi sibi vendicante, vt aptẽ apud Felinum *in cap. 2. de iudic. num. 10.* Rebuffum *in Concord. Rub. decollat. §. 1. litt. A.* Bartolomeũ Lopez Zapata nostrũ *in caus. Pro-Reg. extra part. 2. nu. 177.* rem perfectam, & consummatam significans, non cœptam, vt est apud Vlpianum *lib. 3. ad edictum in l. 1. quod quisque iur. cap. in his 15. de verb. sign.* idem Felinus *in cap. nam concupiscentiam, limit. 4. num. 8. de constit.* & *fecisse*, ac etiam *ordinasse* Foros nouos; *Fecisse*, inquam, vt qui tantum id faciendi, vel non, liberam vsquequaque potestatem habebat, nullis terminis circumclusam cum neque adhuc lege sancitum fuisset apud Aragones, vel *consuetudine*, eaque *rationabili* inductum, *quod Dominus Rex de voluntate & consensu Prælatorum, & Religiosorum, Baronum, Mesnaderiorum, Militum, Infantionum, & Procuratorum Ciuitatum, Villarum, & aliorum Locorum Regni Aragonum, qui ad Curias convenissent, posset facere Statuta, seu Foros, & Ordinationes, & ipsa Statuta tenerentur observare absentes, sicut illi qui in Curia erunt præsentes*, quod suo tempore iam inualuisse Iacobus II. Rex in Foro *vnic. Tit. Quod Dominus Rex possit facere in Curia Statuta seu Foros* An. Chr. 1301. exertê testatur, vt ibidem latiùs dicemus; vnde & id forsan natum, quod hodie solenne est, nempê, quod dum in Curiis Regni Fori sciscuntur, non tantùm *Statuit Rex*, prout anteà fermẽ fieri solitum, in eorum initio ingeminetur, sed addatur *de voluntate Curiæ, & quatuor Brachiorum illius*: licêt enim eo tunc iã de omnium assensu promulgata, & in vnum corpus redacta fuisse antiqua Regni scita, Oscæ Ann. Chr. 1247. expressê legatur, haud tamen id fieri ritê aliter potuisse (quod longê diuersum est) nullibi mihi liquet, quod alibi iã quoque latê dixi; imô neque relata impedimento fore, quominus vsque adhuc, & semper à solo Rege tanquam summo Monarcha, & Reipublicæ capite, editi Fori ac Leges dici debeant, & si à Populo deinde, insimul & expressê recipiantur, suffragiis putà vniuscuiusque ex Brachiis in Curiis existentibus; semper enim Rex est qui statuit, iubet, ac Leges dicit solus; licêt, vt illis nihil roboris amplius desideretur, earumque progressus longê feliciores existant, consensus vniuersi Populi, in quatuor Brachiis Regni representati, calatis Comitiis, ex cõsuetudine, & rationabili, atque à Legibus & Foris Regni iam nota, accedat, vt non multũ dissimilibus verbis, & si non eãdem forsan omnino mẽte, ratiocinatur P. Suarez *de Legib. lib. 3. cap. 19. num. 6.* sic componendus cum D. Callisto Ramirez nostro *de Leg. Reg. §. 21. num. 9.* Sed ad rem.

II. Ergo *statuit* & *fecit* Rex Iacobus his Exeanis in Curiis, ac etiam ordinavit *Foros nouos*, non vero ita appellatos eo quod ii tantum noui, atque tunc primum editi, priores verô ipsius Regis Ann. Chr. 1247. non ita, vt Hieronymo Blancæ *in Comment. rer. Aragonens. p. m. 656.* arrisit, in Foris enim Oscæ d. Ann.

id. Ann. Chr. 1247. plures etiam adesse eiusdem Regis, neque antiquiores certè, nemo ambiget, sed *noui* dicti sunt, quasi *recentes*, & quod *nupèr facti* essent, quæ propriissima verbi significatio est; sub alioque etiam sensu, haud tãtum *noui*, sed & *nouissimi*, i. e. *vltimi*, ac *postremi* possent appellari, cum Comitia hæc habita apud Exeam, quibus rogati fuerunt, extrema etiam sint omnium, quæ in Fororum volumine, eo Rege superstite, leguntur, vt ipse Blancas *sup.* sed alio tendens dixit. Tandem cum eorum sententiæ in varios iam nunc Titulos dissipatæ ac dispersæ legantur, nova Aragonensium Fororum, sub Caroli I. Regis auspiciis, promulgata Compilatione, qua nunc vtimur, in *Notis* vniuscuiusque eorũ id admonere operis nostri prætium erit, cum antea omnes sub vna eàdemque *Rubrica*, & quo dicemus ordine, in antiquis Ms. editisque omnibus voluminibus relati, reperiantur, sub octavo, novissimoque etiam Oscensis Compilationis Ann. Chr. 1247. libro, ea brevissima Epigraphe Fori editi apud Exeam, & Prooemii loco ea alia nec longiori oratione, nempè: *Statuit Rex Iacobus, & fecit Foros nouos apud Exeam*, vt in *Notis* iam monui; quare cum diu multumque autographam eorum Compilationem invenire anxius essem, deque ea Viros sapientes, & internostrates eruditos, pluries interrogassem, sed in cassum, ægrè ferens, vt dixi, in vulgatis atque editis Codicibus, eos tantum sub relatione, neque certæ manus, referri, neque admodum in pluribus conformi cum oculatissimi Hieronymi Suritæ nostri eàdem de re monumentis; ecce in vetustissimo, præclarissimoque Aragonensium Fororum Codice Ms. cuius mihi copiam fecit V. I L L. omniumque bonarum litterarum Mecœnas D. Michael Marin de Villanueva & Palafox, Comes S. Clementis, aliarumque ditionum Toparcha, autographam Compilationem dum lego, statim eadem vti in hisce meis Commentariis edendis, nihil hæsitãs decerno, ipsamque cum vulgata eorum lectione, siue Relatione, atque eorumdem Titulorum Obseruantiis, quod per singulos Foros faciam, omni studio componere, forsan Viris quibusque, qui antiquitatem, i.e. veritatem amant, vt spero, placiturus. Ergo ad Primum,

DE CAVALLERIIS.

TITVLVS I.

VII. In Novissima Compilatione IX. Similes huic Tituli sunt & aliis in Curiis, de quibus statim in *Paratitlo*.

PARATITLON.

C*avalleriæ* hic idem quod *Honores*, *For. vnic. h. Tit.* siue *Terra* vt in *Relatione* eiusdem, qua vtimur, vel *Stipendia* vt prius dictæ fuerant in Foro *Vnic. Tit. de Stipendiis, & Stipendiariis* Anni 1247. Quæ quidem nisi Ricorumhominum dignitate condignis dari non possunt *h. For.* Plura etiam de eis in Foro *vnic. Tit. Vt Barones Aragonũ habeant emendã de suis Cavalleriis, &c.* Et *Tit. Quod Barones Aragonum teneantur Honores Militibus suis dare.* Et *Tit. Quod Barones & Milites teneantur seruire pro denariis, quos à Domino Rege receperint, vel Milites à Baronibus qui non sint pro Honore* Ann. 1300. Et *Tit. de Baronibus quot Cavalerias ad opus sui valeant retinere* Ann. 1301. Et *Tit. de Baronibus Aragonum vt Terram & denarios, quam pro Honore tenuerint, non dent neque assignent, nisi illis*

qui

qui sunt de Regno Ann.1311. Et *Tit. de diminutione Cavalleriarum* Ann.1436. Et *h. eod. Tit. de Caualleriis* Ann.1461. in quo primum concepta *Rubrica* ista fuit, & deinde ab novissimæ Compilationis, qua nunc vtimur, Auctoribus illi Forus noster suppositus.

HONORES *in Regno Aragonum, nisi indigenis, qui mereantur esse Richi homines non dentur.*

INPRIMIS, Quod Nos nec successores nostri non demus Honorem [1] in Regno Aragonum [2] alicui Homini, nisi sint de tali progenie, & natura, quod mereatur [3] esse Ricome, & quod non sit de alieno Regno.

RELATIO QVA VTIMVR. *Inprimis* ★ *quod Ipse, vel successores eiusdem, de cætero* [4] *non donent Terram, siuè Honorem, alicui homini: nisi illi tantum qui ex natura debet esse* [5] *Ricus homo, & qui non sit de alieno Regno.*

OBSERVANTIÆ. I. *Richus* [6] *Homo Miles habet omnia privilegia, quæ habent Infantiones, & omnia quæ habent Milites, & vltra; quia Terram pro Honore non debet dare Dominus Rex, nisi illi qui ex natura debeat esse Ricus homo & qui non sit de alieno Regno.*

II. *Item licet quidam dicant,* [7] *quod filiis Richi hominis non debet dari Terra pro Honore: nisi illi solum qui succedit in Baronia; tamen per Forum Exeæ* [8] *statuitur talem filium, licet non succedat in Baronia, posse tenere terram pro honore: quia Forus non requirit, nisi quod ex natura debeat esse Ricus homo: vnde licet illi desit Baronia, non tamen deest natura: maxime quia Foro nouo* [9] *cavetur, quod Richi homines debent asignare Militibus Denarios, Honores, & Terras illis concessas: aliàs Rex propria auctoritate potest emparare terras, & illas asignare* [10] *alii Richo homini, vel filio Richi hominis, qui tenere terram debeat in Aragonia, quia facit servitium vt in Foro novo,* [11] *per quem patet quod filio Richi hominis licet adhuc non existente Rico homine, potest dari, licet ignoretur, vel nesciatur an sit Richus homo; Et hoc vltimum seruatur.* [12]

NOTÆ.

* Forus 1. *eod. Tit. in Novis. Compil. lib. 7. tit. 9. fol.* 130. *col.* 1. quem illustrant Surita *Annal. lib.* 1. *cap.* 41. *& lib.* 2. *cap.* 64. *& lib.* 3. *cap.* 39. *&* 66. *&* 67. Hieronym. Blancas *in Comment. p.* 310. Vitalis *in Tit. de Stat. hom. fol.* 86. *col.* 3. *lib.* 7. Molinus *in Repertor. verbo Caualleriæ fol.* 59. *col.* 4. *Et verb. Richus homo fol.* 297. *col. in princ.* Ioann. de Bardaxi *in Comment.* D. Morlanes *de Pro-rege extr. p.* 1. *n.* 306. *&* 381. D. Ramirez *de leg. Reg.* §. 32. *n.* 18.

1. *Honorem.* sivè *Terram*, vt in *Relat.* qua vtimur, de quo in *Commentario.*
2. *In Regno Aragonum.* Absunt hæc verba in *Relat.* huius Fori qua vtimur.
3. *Mereatur.* In *Relat.* huius Fori, qua vtimur, *debeat.*
4. *De cætero.* Abest hæc vox in originali Compilat. *vt sup.*
5. *Debeat esse.* In originali Compilat. *mereatur, vt sup. num.* 3. de quo videndus Barnab. Moreno de Vargas *de la Nobleza Disc.* 13. *num.* 10.
6. Obs. 3. *&* 4. *Tit. de Condit. Infancionat. lib.* 6. desumptæ ex Obs. Ms. Salanovæ, & sui in offic. Iustic. Arag.

Arag.Locumt.quique & ex ſua Schola,ac Obſervantiarum illius EximiusCõpilator fuit,Iacobi Hoſpitalis *Tit.de Priuileg.Baron.& Richor.hom.Arag.* Et *Tit.de Priuileg.Dom.Infant.obſ.pen.in fin.*totidem penè verbis;eaſque illuſtrant Suritæ,Blancæ,Molini,ac Didaci Morlanii loci ſupra laudati,Ant.Bages *in Gloſ.p.m.* ,Motiba *in cauſa de Queralt.p.m.* ,Arnald.Oyhenart.*in Notit.vtriuſque Vaſcon.*& de eadem matèria videndi Gutierrez *practicar.qq.lib.3.q.16.n.124.* Giurb. *ad Conſuet.Meſſan.p.139.*

7. *Quidam dicant.*Propter.*c.1*.nempè,*§.& quia in fin.de prohibit.feud.alienat.*de quo in *Commentario.* Sed deinde in Aragonia id aſſecuti ſunt tempore Iacobi II.aut Petri II.vt ait idem Surita *Annal.d.lib.1.& lib.2.c.64.*in Regnis Caſtellæ vſque ad nepotem èx *l.6.tit.26.de los Feudos partit.*4.vbi idem Gregorius Lopez,Molina *de Hiſpanorum primog.lib.7.c.11.n.22.*

8. *Forum Exeæ.*Hunc nempè *vnic.Tit.de Caualleriis.*

9. *Foro nouo.*Foro ſcilicet.1.*Tit.Quod Barones Arag.*Ann.Chr.1300.vbi dicam.

10. *Illis aſsignare.* Quæ tamen aſsignatio dicebatur *Carta Inveſtituræ* de quo Britius *in Hiſt.Sanct.Ioannis lib.1.c.51.* vide & Villadieg.*ad For.Iuzgo in Proœm.* & in *Gloſ.l.2.n.7. & l.6.tit.28.partit.*4. vbi Gregor.Lopez.

11. *Foro nouo,*ſcilicet,*d.For.1.Tit.Quod Barones Arag.*d.Ann.1300.

12. *Et hoc vltimum ſeruatur.*Verba hæc deſunt apud Salanouam,& Hoſpitalem,harum obſervantiarum primos Auctores,vtpote addita tempore quo tandem compilatæ fuerunt,nempe Ann.Chr.1436.

COMMENTARIVS.

I. CIRCA iſtam Rubricam quærendum eſt quid ſit Caualleria? tradit Callicius *in vſat. Barcinon. vſat, incip. omnes homines,num.4. & 9.fol.39, & 41.* Et quod Caualleriæ non ſunt Feuda,quinimo ab illis maximè diferunt,Molin.*in Conſuet.Pariſ.fol.1.col.2.* Benedict.*in cap.Raynucius in verb. & vxorem 3.fol.89.*Caualleriæ Honoris quæ ſint,& quæ Meſnata docet Obſ.*in cap. Itemque Honor, de priuileg.gener.* & *obſ.ſeq.*Hoc ſuppoſito.

II. Dicit Forus quod Caualleriæ Honoris non dentur niſi Richis hominibus Regni, Molin.tradit *in verb.Caualleriæ,verſ.Caualleriaſ Honoris,ſeu Terras pro honore non concedat Dominus Rex alicui,niſi tantum Richis Hominibus,qui ſunt de Regno Aragoniæ, & non de alieno Regno.For.1.in princip.Tit.For.editi apud Exeam.*Nec etiam ipſiBarones poſſunt concedere Militibus extraneis à Regno terram,& denarios, quos habent pro honore Caualleriarum For.*Vnic.de Baronibus* Obſ. *Item habent de Condit.Infantionat.* Quis vêro dicatur Richus Homo? dicitur ſecundum Forum Aragonum,qui eſt Dominus alicuius Baroniæ, Molinus *d.verb. Richus Homo in princip.* Obſ.4.*& 5.de Condit. Infantionat.* iuncto Foro *Vnic.Tit.de Baronibus.*Et Homines Magnates,puta Marchiones,Comites,Duces,& plures habentes Baronias(non qui ſolum habent plures pecunias) dicuntur Richi homines;& iſti Richi homines facientes Meſnatam,qui tenent Caualleriaſ à Domino Rege,non recipiunt calonias in computo Caualleriarum;Obſ.*Miles de gener.priuileg.*Calonias intellige excedentes LX.ſolidos, quæ ſunt Domini Regis,quas concedit Dominus Rex Richis Hominibus tenentibus Caualleriam. Nec iſti Richi homines poſſunt tollere terram ſeu Honorem Militibus, aut Infantionibus, ſine cauſæ cognitione;Obſ.*fin.de priuileg.milit.*Sicut nec Dom.Rex poteſt tollere dictis Richis Hominibus,niſi præambula cauſæ cognitione per Iuſtitiam Arag. *§.Item que honor in Priuileg.Gener.*

III. Item tenentes Caualleriaſ à Domino Rege, tenentur ſeruire Domino Regi vbique, ſaluo in mari.Obſ.*Item habentes de condit.Infantionat.*Et ſi aliqui tenent Caualleriaſ Honoris,tenentur ſeruire Domino Regi tempore guerræ per tres menſes in anno in eundo,ſtando,& redeundo. Obſ. *Item notandum de Gener.Priuileg.tot. Regni.*Sed an poſsint executari Caualleriæ non obſtante Iuris firma? dic quod ſic,quod fieri debet executio.Molin.*in verb.Caualleriæ in verſ.finali.* IOAN. DE BARDAXI.

IV. ERGO cautum in primis,ſiuè in primo harum Curiarum capite, fuit, Quod Ipſe Rex Iacobus,aut ſucceſſores eius, non dent Honorem in Regno Aragonum alicui Homini,niſi ſub ſtata ac ſtabilita forma, quam vt pro virili illuſtrare incipiamus, illud in primis animaduertendum eſt, antiquis inſtauratæ,atque à Sarracenorum manibus vindicari cœptæ,Hiſpaniæ noſtræ legibus,quarũ in Suprarvienſi Foro potior memoria extat *Tit. de como deue ſer el Rey alçado*, cautum iam apud noſtros reperiri,qualiter ſtrenui Reges è Mauris vindicabunda bello cum ſubditis indigenis diuiderent.illis verbis: *E que eyll departa el bien de cada tierra,con Homnes de cada Tierra combenibles Ricos Homnes,& Homnes de*

Vilas,& Cauaylleros,& non Eſtraynnos dotra tierra. Quippe *vt qui operi adfuerant fructu laboris percepto ad alias expeditiones fierent promptiores*, quæ Dion. Hallicarnaſſenſis *lib.7.* in hanc rem verba ſunt; nam vt inquit Apoſtolus 1. *ad Corinth.9. Quis militat ſuis ſtipendiis? Quis plantat vineam,& de fructibus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Aut quis forſan putabit *operari ruſticum poſſe ſi illi dixerit, agrum peritia omni ruſticitatis exerce, culturis diligenter inſiſte, ſed nullam meſſem metes, vindemiam nullam premes, nullos olueti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes,* vt eleganter Divus Cyprianus *lib.4. ep.2. ad Ant.* Divuſque Ambroſius *lib.1. de Abraham, cap.3.* qui, Abrahami hiſtoriam tractans, moris huius æquitatem oſtendit, dum inquit: *Sanè his qui ſecum fuiſſent in adiumentum fortaſsè ſociati, partem emolumenti tribuendam aſſerit, tanquam mercedem laboris*, exerti textus in *l.18.§.poſſunt, ff. de ædilit. edict. l.1. de reg. iur. l.6. C. de appellat. l.9. C. de exactor. tributor. cap. cum ſecundum 16. de præbend.* cum ſimilibus.

V. Etenim cum ſempiterna lex inter homines ſit, captis vrbibus hoſtium, omnes eorundem res victoriæ cedere, vt apud Xenofontẽ *lib.5. de Inſt. Cyri* dicebat Cyrus, & quæ victi habebant bona omnia, victorum fieri, vt Plato ipſe *de legibus*; per publicos belli actus illi, cuius auſpiciis bellum ageretur, ex iure gentium capta omnia adquiri, vel elegantiſsimo Livii *Hiſtor. lib.30.* loco, apud quem Scipio ex hoc iure cum Maſiniſſa egit, comprobari ſat poſſet, ſi opus fuiſſet, dum inquit: *Syphax Populi Romani auſpiciis victus captuſque eſt; itaque ipſe, coniux, regnum, agri, opida, homines qui incoluntur, quidquid denique Syphacis fuit, prædæ Populi Romani eſt,* non autem ſingulorum occupantium vt in *l.20. §.1. ff. de capt. & poſtlim. reuerſ.* de quo Agellius *Noct. Attic. lib.7. c.41. & lib.13. cap.23.* Bornius *de Aerar. redit. lib.3. cap.10.* & inter victores, Regis, ſiue Imperantis arbitrio, ſed maiori ſemper illi parte retẽta, diſtribui debere, quod eleganter apud Homerum, de vrbibus, quas Achiles expugnauerat, ſic latine loquentem legi poteſt.

Omnibus his ingens prætio, numeroque ſuppellex
Noſtrà rapta manu: Regi ſed victor Atridæ
Cuncta tuli, celeres reſidens qui pone carinas
Diuideret, cum pauca aliis, ſibi multa tenebat.

Licet neque vno eodemque modo id ſemper actum, aliterque de rebus ſe mouentibus, mobilibuſve, ac de inmobilibus bello captis, apud pleraſque gentes ſtatutum fuiſſe, neminem lateat; eas tantùm departitiones animadvertes, ſiue aſsignationes à Regibus ſtrenuiſſimis quibuſque ſuis militibus factas, ſaltem ea ex parte, qua Regibus licebat, huic magis quã illi, inter ipſos tamen commilitones, aliquid plus, quôd fortiter feciſſent, condonare, i.e. *prædæ deciſionem, & pro perſonarum qualitatibus, ac laboribus, iuſtam diſtributionem*, vt inquit D. Iſidorus, vbi huc reſpiciens de Iure militari agit, & ante ipſum Polibius *lib.20.* vbi totum diuidendi bello parta ordinem accuratê proſequitur, etiam *donationes* non male dici, & *dandi* verbo explicari poſſe, vt in hoc Foro, & apud Euripidem *in Troade*, vbi de nobilioribus fœminis Troianis bello captis:

quæ Principibus eximiæ DATÆ
erant Achiuis.

inquit, cum alias ſæpê conſtitutum ſit, *dari* rectê tantum dici quod nullo iure cogente conceditur, *l.29. de donat.* meliuſque forſan eo caſu *antidora* aſsignationes iſtæ dici deberent, quaſi remunerationes laborum, quæ à puris donationibus longê diſcriminantur vt ex *l.25. §. conſuluit, de petit. hæred.* Contius *lib.1. diſput. cap.12.* atque Conanus *lib.5. cap.9. n.2.* animaduertunt. Et quod ad rem magis, Cæſar poſt Pharſalicam pugnam caſtra Pompeiana daturus militi diripienda, hoc edicto dediſſe conſtat apud Lucanum *lib.7.*

Supereſt pro ſanguine merces
Quam monſtrare meum eſt, neque enim DONARE *vocabo,*
Quod ſibi quiſque DABIT.

Sed hæc de caſtrorum ſuppellectili, & mobilibus rebus, vel ſe, vt dicunt, mouentibus, quæ occupantium primo adquiruntur, intelligenda, vt in ſpecie *l. transfugam, §.1. ff. de adquir. rer. dom.* ſecus tamen de rebus ſoli, ſiuê hoſtium poſſeſsionibus, quæ priſcis ſæculis iure belli, aut locandæ retinebantur, aut modico prætio veteri poſſeſſori, honoris gratia, relinquebantur, aut diſtrahebantur, aut aſſignabantur colonis, aut fiebant vectigalia, de quibus omnibus dapſilê, vt ſolet Grotius *de iur. belli, & pacis, lib.3. cap.6.* aut militibus tandem in præmia, vt in ſpecie huius Fori, cõcedebantur, de quo ſunt textus *in l. Item ſi 15. §.1. ff de rei vindicat. l.11. ff. de euict.* Briſonius *lib.4. ſelectar. cap.1.* Cujacius *lib.19. obſeruat. cap.17.* & exertus notator Dioniſius

Go:

Gotofredus plura congerens *in dict. l. 20. §. 1. ff. de captiu. & postlim. reuers. num.* 25. & quãdoque *bonum Terræ*, siuê *el biẽ de cada Tierra*, vt in allato supra antiquo Hispaniæ Foro, apud Suprarbiensem Compilationem; quandoque vero *Terra* tantùm, vt in Relatione huius Fori; non nunquem etiam *Caualleriæ* vt in *h. Tit.* vel *Denarii* vt supra in *Obs.* 2. Sed frequentiùs *Honores* proprio & recepto magis nomine dicebantur, quod ex alio etiam ipsorummet antiquiorum Hispaniæ Fororum, apud Suprarbiensem Compilationem, capite *Tit. Como deue el Rey toller la Honor*, non obscurê liquet, non ita tamen quasi strenuissimis viris honorario tantum iure, vel loco doni aut muneris, sed in Honoris speciem, specimenque, & ad statos ac statutos belli sumptus, darentur quod magis probamus.

VI. *Honor* etenim (vt plenius rei originem à nostris, ex vicina forsam Gallia, ac legibus Longobardorum, vsurpatam, pro modulo tenuitatis nostræ, præter ea, quæ ex Blanca *in Comment. rer. Arag. Tit. de Optimatib. p.m.* 734. sibi contrario *p.* 741. tetigit D.R. Sesse *decis.* 1. *num.* 51. illustremus) apud Romanos interdum dignitatem, & magistratum significabat, vt *Honor* Consulis, *Honor* Prætoris, sicque apud Iuuenalem *Satyr.* 1.

Sed cũ summus Honor *finito computet anno*
Sportula quid referat.

Sed inclinato Imperio dictus est etiam de administratione Reipublicæ cum dignitate eiusdemque præmio, nec non de illustriori Magistratu, & adscripto eidem Territorio, sicque Administratio & Territorium Ducatus *Honor Ducis*, Comitatus *Honor Comitis*, Parrochiæ Episcopalis, *Honor Episcopi*; Castellaturæ, *Honor Castellani*, vt est in Chronic. Camerac. *lib.* 3. *cap.* 72. & apud Gregorium Turonensem *Histor. lib.* 5. *cap.* 14. vbi Gunterannus Ducẽ suum *Erponem septingentis aureis damnat, & ab* Honore *remouet*. Guid. Imp. in ll. Longobardorum *leg.* 2. *tit.* 53. *lib.* 2. ibi: *Placuit etiam nobis statuere summopere vt Episcopi & Comites vniti sint in suis Parrochiis, & in Comitatibus: ita vt nullum prædonem, raptorem, vel incestum in suis sedibus vel concessis* Honoribus *permittãt morari*. Et infra: *Si Comes eiusdem loci hoc implere neglexerit proprio* Honore *priuetur*. Qui, & Honores Regales etiam dicti apud Gallos *in Capitular. Caroli Mag. lib.* 3. *cap,* 69. in Rubrica: *De iis qui* Regales *habent* Honores, *& in hostem banniti, ad condictum placitum non venerint*. Et sub inde in Textu: *Quicumque Homo nostros habens* Honores *in hostem bannitus fuerit, & ad condictum tempus non venerit, quot diebus, post placitum condictum venisse comprobatus fuerit, tot diebus abstineat à carne, & vino*. Diuersumque fuit à beneficio regali, hoc est ab illustriori Feudo, licẽt cum eodem sæpê iungatur, sæpê confundatur, sic enim *cap:* 71. *Quicumque ex his qui* beneficium *Principis habeat, parem suum contra hostes communes in exercitu pergentem dimiserit, & cum eo irè vel stare noluerit*, Honorem *suum, &* beneficium *perdat*. *Honorem* enim hic de iurisdictione, *Beneficium*, de ipsis prædiis non malê intelligas; licẽt *Honoris* etiã tantùm appellatione contineantur & ipsa prædia, Anonymus *de gestis Episcopor. & Abbat. Turonens. Hæc oppida ad* Honorem *& Consulatum Turonicum pertinebant antiquitus, & ex Diœcesi Episcopatus erant Turonensis*. Et *Beneficium Honoris* etiam apud nostros dicitur in *For. vnic. Tit.* 7. *infra*.

VII. Quomodo autem vox eadem ex Gallia tranarit in Angliam cum Normannis, & quomodo antea ab Anglo-Saxonibus, deinde ab Anglo-Normanis fuerit accepta, neque iniucundũ erit forsan hic iam tandẽ subiungere: ab illis enim *Honor* dictũ videtur, vniuscuiusque maioris Baronis Feudale patrimonium, seu Baronia, adiuncto plerumque Sedis eiusdem Capitalis, aut ipsius interdum Baronis nomine, quod patet ex Charta Guilielmi 1. Abb. Rem. *sect.* 174. vbi *Scias*, inquit, *communiter Me ..... accepisse in manu mea, & defensione totum* Honorem *Ecclesiæ de Remeseie, &c.* Et in Breui Henrric. I. *in lib. Remes.* ibi: *Henrricus Rex Anglorum, &c. Coram me testificatum, & recognitum est per Barones de* Honore *Rameseiæ, &c.* Gerbasio Tilberiensi liber suppositius *p.* 2. *cap. de excidentibus: De Firma illius* Honoris, *scilicet Baronia est*, plenius in *Breui Regis Henrric. II. Henrricus, &c. Vicecomiti Comitatus Norfo c, & Sufolc salutem. Quia Feuda Baronum nostrorum, quæ tenent de Nobis in* Honores, *in Comitatu suo, & diuersis Comitatibus Regni nostri Angliæ, de quibus auxilium nobis concessum est, ad maritandam Isabellam Sororem nostram Romano Imperatori, Mandamus, &c.* In quo tamen videntur singulis Baronibus singuli Honores attribui, Feudaque ad Baroniam pertinentia, velut membrum Honoris æstimari. Cum vero tandem Barones, & Magnates, non à Feudali consuetudine, sed vel à Breui Parlamentario (quod præcipuê sub Eduardo I. accepisse vigorem fertur) vel ex Regiis diplomatibus, (quod à Ricardo II. sumpsisse originem dicitur) nulla ascripta iurisdictione, nullis regalibus cæpissent institui; desierunt illico illorum patrimonia *Honores* appellari, remansitque dein-

deinceps vocabulum in antiquis ſolummodo Baroniis,& Comitatibus; licet poſtea iterum ſuſcitatum etiam fuerit ad noua aliquot illuſtria Dominia,quæ Baroniarum Titulis nunquam antea claruerant,exornanda; nam cum Rex Henrricus VIII. in locis quibuſdam, faſtui Regio haud ſatis paribus,ædes auguſtiſsimas condidiſſet:& non ſolum eximia latifundia,potioreſque delicias, ſed & nobilia multa maneria,auctoritate Parlamenti eiſdem annexiſſet, ne vulgari deinde laborarent nomine HONORES decreuit appellandas,vt latê apud Henrricum Spelmannum,à quo plura ex prædictis,cum non facile proſtet,huc conduximus *in Gloßar. Archaiolog. verb. Honor, p.m.* 300. *col.* 1.

VIII. His ergo ita de vocis etymo,atque rei origine, nec inhonoro forſan agone, prælibatis, quippe Iacobi Regis æuo *Honores* iſtos,ſiue prædia,locaue capta ab hoſtibus,vel quandoque etiam capienda, Richis tantum hominibus aſsignari invaluerat, nullà Hominum,villarum atque Militum,de quibus in antiquo Hiſpaniæ Foro,inter Suprarbienſes ſupra relato,etiam cauebatur,mentione factâ, ſiue ex eo quôd illi iam ab ipſis Richis hominibus,& ex eiſdem Honoribus,ipſorumve provẽtibus,atque in belli caſus,ex præſcripto etiã legum alebantur,de quo ſuo loco; ſiue Richorum hominum potentià omnia per illa tempore ſibi ipſis vendicante,adeo vt in antiquiori eiuſdem Iacobi Regis Fororum Compilatione à Vitali Canelis Iuriſconſultorum omnium Aragonenſium facile principe, compaginata,manifeſtê legatur,*Omnes Ciuitates ac Villas,tam maiores quàm minores deberi Richis hominibus pro ſuis ſtipendiis aſsignari*: & ſi non etiam ita groſsê,& pro vt ſonat,à cordato quoquam accipiẽdũ id ſit,quaſi omnes omnino Ciuitates,ac Villæ totius Regni,ſiuẽ integri ipſarum prouentus, nullà Regibus ipſis parte relictà,Richis hominibus aſsignandæ eſſent;meliùs enim allatam Vitalis ſententiam cum antiquo Hiſpaniæ & Suprarbienſi Foro ſuprà tradito quiſque componet,ſi ex omnium Ciuitatum,ac Villarum prouentibus aliquam partem ipſis Richis hominibus earundem Ciuitatum ac Villarum à Regibus aſsignandam, ac conſignandam,cæteris ſibi retentis,exiſtimet;quod & iſto iam tempore ita fieri ſolitum ſupponendum eſt,neque vlli tunc ignotum,quæ pars Regi,quæ vero ipſis Richis hominibus vnaquaque in Ciuitate vel Villa, tam maiore,quàm minore,aſsignanda,aut dependenda foret; licet nos iam hæc penê lateant exceptis his quæ nuper ex Alfonſi IV. Regis Regeſto quodam circa Ann. 1328. in lucem dedit D. Ioannes Franciſcus Montemaior de Cuenca Aragonus I.C.& Regius in Nouo Orbe Senator,Opuſculo ſuo Hiſpano *De el Origen, y Priuilegios de los Ricos hombres,ò Nobles, Caualleros,Infançones,ò Hijoſdalgo,y Señores de Vaſſallos de Aragon, cap.5. fol.87.* ſed & etiam quandoque integra quædam oppida ipſis Richis hominibus à Rege fuiſſe aſsignata, pluribus etiam aliis ſibi ipſis ex integro retentis,neque vno ſemper atque eodem modo id actum factumve,quod Nos abundê docet varia priſcorum monumentorum illius æui lectio; imô neque ex his etiam pauca Regum munificientià exteris fuiſſe data,quod ſaltem ſi ex ſua Regia parte tantûm fieret,nulla lege prohiberi memor ſum; cætera vero Richis ipſis hominibus pro debita ſua,vel ex regio arbitrio,vel aliter,portione,iuxta tamen depactas leges,obveniſſe; ſed & interdum etiam confusê id nimis actum.

IX. Etenim & ſi à principio certæ ac deſignatiſsimæ eſſent Richorum hominum familiæ,quibus tantummodo,nec prorſus aliis, Honores omnes aſsignari fortê iã inualuerat; at immiſsis in eundem locum paulatim aliis ab ipſis Regibus ex Palatinorum, Meſnaderiorumque ordinibus,nõ modo illos antiquo, ac ſplendidiſsimo nomine, ſoliſque ipſis, vt putabant, debito, ſed honoribus etiam fraudari cæperunt: cum & Richi etiam Homines, ſic immiſsi,vocarentur, & eo velamine plerumque ipſi ampliſsimis honoribus, muneribuſque,& verê Richis hominibus tantummodo,vt illi aiebant,debitis, à Regibus afficerentur;quod & ſi neque omnino iniuriâ eorum,neque rarö etiam factum, perinde ac ſi ipſi Reges ſubditos ſuos ad ampliſsimos,quos meruiſſent, honoris gradus extollere nullis legibus prohiberentur, & ſpeciatim Meſnaderios indigenas,i.e. de genere Richorum hominum ſaltem ex linea paterna,& in qua nullus vſquam, vnquamve priuati hominis vaſſallus memoraretur,procreatos viros ad ſplẽdidiſsimam Richorum hominum dignitatem eleuare,vt ex primæ Aragonenſium Fororum generalis Compilationis ſententia,apud Hieronymum Blancam *in Comment. rer. Arag. p. m.* 727. cõprobatur; non minùs tamen id ægre ferre, quàm impatienter Proceres illi cæperunt,qui vetuſtate nobiles, maiorumque ſuorum virtutibus,ac diuitiis fœlices,iure *Richi* inter omnes omnino *homines* appellabantur; acriter conquerentes de condonata in eorum iniuriam,vt clamabant,non ante multos annos,eo modo,& ab ipſo Iacobo Rege,Eximino Perezio Tarazona Meſnaderio viro, cum ampliſsima Richi hominis dignitate *Baronia* Arenoſii,à qua poſteri illius nomen deinde duxerunt,vt eſt apud Hieronym. Suritam *Annal. lib.*

lib.3.cap.39.in principio:ex quo & ansam cœperunt vt Cæsaraugustano in Conuentu Ann. Dom. 1264. de quo suprà in Chronic. Histo-ric. ante omnia de Rege conquererentur, & emmendandam legibus iniuriam adniterētur, vt ipsemet Hieronym. Surita *Annal. dict. lib. 3.cap.66.* locupletissimus Auctor est, illis verbis: *I principalmente los Ricos Hombres dauan querella de el Rey, que por muchas vias los desaforaba, alegando, que daua los Lugares que erã de Honor, à Estrangeros de el Reyno, que no podian, ni deuian ser Ricos Hombres, como hizo à D. Ximen Perez de Arenòs, que no era Rico Hombre por naturaleza, à quien el auia dado la Baronia de Arenos, y pretendian, que estos Lugares los deuian tener ellos, y no Prelados, sino por ciertas razones, probadas, i juzgadas ante la Corte, i despues de sus dias los auian de tener sus hijos, i los mas propinquos parientes que ellos elixiessen*, quæ Hieronymi Blancæ prima mens (vt supra traditur) fuisse videtur, & Romanorum exemplo comprobari sat posset, quos inter T. Largius apud Dionys. Hallicarnas. *lib.6.* cum Volsci olim possessa repeterent sententiam suam in Senatu dixit: *Romani nos honestissimas eas, atque iustissimas credimus possessiones, quas belli lege captas habemus, imò vero eas non tantum cum his qui nunc viuunt, ciuibus nostris, communicandas; sed & posteris nostris relinquendas censemus.* Et in responso Auruncis dato: *Nos Romanì arbitramur, quæ quis hostibus erepta virtute quæsiuit, & optimo iure propria, ad posteros transmitti.* Haud tamen meminit id à Iacobo Rege non tantum non admissum, verum & ipsis Richis Hominibus ædepol exprobratum, medio Arnaldo Peralta Cæsaraugustano Episcopo ipsis nomine regio, apud eūdem Hieronym. Suritam *vbi sup.* hac de re quam strenuissimê ingeminante: *Que en quanto à los Honores que pretendian, se deuian dexar à sus Hijos, ò al mas propinquo pariente, i no los deuian perder. Respondia el Rey, que esta era cosa, que nunca fue vsada en España, ni era en Fuero, ni costumbre, i que allende de esto, siendo heredad propria suya, i que la podia dar à quien quisiesse, no la queria obligar à Feudo, diziendo, que en pedirle lo contrario, le demandauan gran sinrazon, i desaguisado, i lo que nunca fue demandado à Rey; i que como quiera, que el Fuero disponia, que pudiesse embargar los Honores, quando por bien tuuiesse, por si, ò por su Portero; pero por causa de estas alteraciones que se auian mouido, no pensaua ponerles ningun embargo en las Tierras que tenian en Honor, i que si avia dado Tierras à tales personas, que no deuian ser Ricos Hombres, lo hizo porque ellos le faltauan, i no le seruian como era necessario, i conuenia seruirse de otros, i hazerles bien, i que procurassen de seruirle como deuian, i alcançarian esso, i màs de èl*; quippê illud Liuii *lib.1.* illis ipsis obiecit: *Si nusquam opera esse sinè emolumento, neque emolumentum*, etiam *sinè impensa opera esse debere*; quibus certê vt strenuissimum se ita & ingenuum Principem iure præbuit Iacobus, quasi nihil ipsius Regiæ dignitati, nihil se Procerum iuribus, neque in tanto rerum earum discrimine, derogatum iri vellet; cuius tandem non vltimum argumentum est, quod eodem Arnaldo Episcopo iterùm eadem de re cum Proceribus ipsis Regio nomine colloquente, prima pars relatæ ipsorum quærellæ ab ipso quam libenter admissa fuit: *Confessando, que los Ricoshombres tenian razon en lo que pedian, que no se deuia dar Tierra, ni Honor à ninguno, si no mereciesse ser Ricohombre por Naturaleza, y proueiendo, que no se daria Honor à Ricohombre de otro Reyno*; verba sunt eiusdem Suritæ *Annal. dict. lib.3. cap.67.* Et sponte sua id deinde hac Lege apud Exeam composita, cum omnia iam in manu ipsius essent, sancitum, firmatumque; tantum nihil de paternis honoribus in filiis continuandis vel non, cuius rei nec vel lineam allato suprà antiquo Hispaniæ inter Suprarbienses Foro legi vidimus, neque de ipsis cum par esset iure suo ab Rege occupandis, quod neque etiam legibus prohibitum illi erat, pœnitus immutando.

X. His ergo ita de Fori origine ac caussis, nec oscitantêr forsàn conductis, nunc de ipsius sententia videamus, quæ plana apertaque est, dum statuit *in primis* quemadmodum etiam primô ac principaliter ea de re conquesti fuerant Richi homines, vt videre est apud Suritam *supra*, ne Rex eiusve successores darent Honorē in Regno Aragonum aliqui Homini, nisi sit de tali progenie & natura, quod mereatur esse Richus homo, & quod non sit de alieno Regno; quæ tamen verba *in Regno Aragonum*, & si abesse videantur in Relatione istius Fori, vt in *Notis* monuimus, rectissima tamen & retinenda esse nos docent illa, quibus Arnaldus Peralta Cæsaraugustanus Episcopus cum eisdem Richis hominibus contenderat de Baronia Arenosi in Valentino Regno ab ipso Rege Eximino Perezio Tarazona collata, apud eundem Suritam *vbi supra*, dum inquit: *Que siendo heredad suya propria* (de el Rey) *y que la podia dar à quien quisiesse, no la queria obligar à Feudo*; quæ forsàn de Regno Aragonum ab ipso Rege iuxta depactas antiquas Patriæ leges haud ita ritê ingeminari possent, quam de Valentino, in quo ampliora iura habere Regem illum, ac strenuissimum illius debellatorem, & si non omnino etiam annuentibus

Aragoniæ Proceribus, & expeditionis commilitonibus, ſæpê diſceptabatur, & nunc primum iure obtinuerunt vt in Regno Aragonum non aliis quam eiſdem Honores concederentur, obliterato pone antiquo Hiſpaniæ, inter Suprarbienſes Foro, qui hominibus Villarũ, ac Militibus Regni non modo permittebat, ſed quodammodo ex præſcripto imperabat aliquid ſaltem in vnaquaque Villa aſsignari, vt ſupra in principio vidimus; & ſi iam eo tunc more etiam abolitus eſſet, dum ad Richos homines tantum res iſta delata erat; quinimo & ſublata etiam fuit illa conſuetudo, & forsàn à Regibus ipſis iam eo tunc præſcripta, his honoribus afficiendi ſaltem eos Richorum hominum, qui ab ipſis Regibus ad huiuſmodi dignitatis faſtigium ê Meſnaderiorum ordine aſſumpti, cooptatique eſſent, dum omnibus hominibus interdictum fuit hoc Foro Honores donari: *Niſi ſint de tali progenie, & natura, quod mereatur eſſe Ricome, & quod non ſit de alieno Regno*: vel, vt in Relatione ipſius Fori, qua vtimur, dicitur ſed non ita expræſsê: *Qui ex natura debeat eſſe Richus homo.* Nato quippe ex patriciis illis viris, quos quaſi ipſa ad tantum honorem natura ipſa, non autem vlla Regum beneficia extuliſſent, vſitata noſtrorum loquendi conſuetudo *Ricos Hombres de Natura* adpellare conſueuit, i.e. verê Nobilibus illis, quibus maiorum eſſent virtutes, & diuitiæ, vt eſt apud Ariſtotel. *Polit. lib. 1. c. 1.* vel claris genere, atque opibus viris, vt apud Iubenalem *Satyr. 2.* de quibus inter alios ad nauſeam vſque Andr. Tiraquellus, & Eguinar. Varo *de Nobilit. c. 2. & 3.*

XI. Sed an omnibus Richorum hominum nati? an illi tantum, qui Patris in eadem dignitate (*Ricabombria* vno tantum, & patrio vocabulo liceat eam interim appellare) & ab eo nominatus (neque enim etiam tunc apud eoſdem primigenii ius erat) hæres & ſucceſſor legitimus exiſteret, honores ſupra traditi ab Regibus dari poſſent? ſanê priſcis adhuc illis temporibus quæſtionis iam fuiſſe, vel Eximinus ipſe Petri de Salanoua, ſecundus poſt Vitalem Aragonum I. Conſultus, quique amplisſimam Regni Iuſtitiæ Præfecturam bonorum omnium cum laude moderatus fuit; dimidio ferê ſæculo poſt æditionem iſtius Fori illum, ante omnes, quos ſcimus, interpretatus *in ſuis Obſ. Ms. Tit. de Priuileg. Baron. & Richor. hom. Arag.* têſtatus eſt; vt patet ex *Obſ. 3. & 4. Tit. de Condit. Infantionat. lib. 6.* ſupra poſitis, quæ ab eo totidê pone verbis vſurpatæ ſunt, vt in *Notis* monuimus. In quibus licet aliquos dixiſſe teſtetur: *Quod filio Richi hominis non debet dari terra pro Honore, niſi illi tantum, qui ſuccedat in Baronia*, propter *cap.* nempê 1. *§. & quia in fine, de prohibit. feud. alienat.* per quem etiã textum, licêt illum tamen non alleget, eiuſdem opinionis fuit Martinus de Pertuſa *ad Tit. de Priuileg. Gener. p. m. 167.* Prætendebant namque Richi homines ad propinquiorem ſuum honorem, venire poſt mortem, *iuxta d. §. & quia*, ſed Rex non id conſuetudine Hiſpaniæ receptum vſquequaque reſpondebat, vt in principio *d. §. & quia*, ibi: *Antiquiori tempore obtinuit*, ſcilicet, quia dabantur pro ſtipendio, *l. 9. tit. 25. partit. 4.* vbi Gregor. Lopez, vel, vt idem Salanova proſequitur, quia *per Forum Exeæ*, i.e. per hunc noſtrum Forum, *ſtatuitur talem filium licèt non ſuccedat in Baronia poſſe tenere terram pro honore; quia Forus non requirit, niſi quod ex natura debeat eſſe Richus homo, vnde licet illi deſit Baronia, non tamen deeſt ei natura*, vel vt ipſe tandem ait: *maxime, quia in Foro nobo*, i.e. in For. 1. *Tit. Quod Barones Aragonum*, Ann. Chr. 1300. vt in *Notis* admonui, *cõtinetur quod Richi homines debent aſsignare Militibus dictos Honores, & Terras eis conceſſas; alias Rex propria auctoritate poteſt emparare, & alii aſsignare Richi homini, vel filio Richi hominis, qui tenere debeat Terram in Aragonia, qui faciat ſeruitium vt in Foro nouo; per quã patet, quod filio Richi hominis adhuc Richo homine non exiſtente poteſt dari, licet ignoretur, nec ſciatur an ſit Richus homo.* Quibus tandem Salanouæ verbis obſeruantiarum eiuſdem Compilatores in hac noſtra addidere. *Et hoc vltimum ſeruatur* Anno nempe 1436. in quo dictæ Obſeruantiæ compilatæ fuerunt, vt etiam monui, in *Notis*.

XII. Neque aliter etiam de hoc ſenſit Iacobus Hoſpitalis, antiquus etiam Aragonus I.C. vt ex eiuſdẽ Salanouæ ſchola, & qui ipſius Locumtenens in Offic. Iuſt. Arag. ac obſeruãtiarum illius eximius compilator fuit, in ſuis quoque *Obſ. Ms. Tit. de Priu. dom. Infanc. Obſ. penult in fin.* vbi ait: *Nam ſecũdum veram veritatem filius Richi hominis, niſi ſuccedat in Baronia non debet tenere honorem, ſed debet tenere Meſnaderiam, & talis Meſnadarius non debet eſſe Vaſſallus, niſi Domini Regis*, cuius memor eſt Bagius *in Comment. ad d. Obſ. 4. inter Commun. Tit. de condit. Infanc. p. m.* Addo, & Molinum *in Repertor. verb. Cauallerias fol. 59. col. 4.* qui iſtius quoque Fori memor eſt ſub his verbis: *Cauallerias Honoris ſeu Terras pro Honore non concedit Dominus Rex alicui, niſi tantum Richis hominibus qui ſunt de Regno Aragonum, & non de alieno Regno, vide in Foro Tit. Fori editi apud Exeam in princip. fol. 36. Nec etiam ipſi Barones poſſunt concedere Militibus extraneis à Regno Ter-*

Terram, & denarios, quos habent pro Honore Caualleriarum, vt in Foro vnic. Tit. de Baronib. fol. 50. *lib.* 5. *Et de isto Foro facit mentionem Obs. Item habent. Tit. de condit. Infantionat. fol.* 25. *Et qui dicantur Richi homines, vide infra in verb. Richus homo*, licêt à Portolesio *ibid.* non illustretur; Et vel leuius quoque Forus hic attiguatur à Ramirez *de leg. Reg. fol.* 32. *num.* 18. Vbi memor illius sufficere planè ait naturam Richi hominis habere, vt àbsque Fori lesione cuilibet Rex Terram, siue Honorem possit dare, cum Filii Richi hominis priuilegia, quæ eorum Patres habuerunt, saluis his quæ propria sunt militum, habere dicantur in *Obs. Filii Richi Hominis* 3. *eod. tit.* ex quo militiæ dignitas à Regibus certis solemnitatibus concedi soleret, de quibus per Bages *in Obs. Item in Aragonia* 21. *hoc tit.* ad quam ipse se refert *d. Obs.* 13.

XIII. Ergo tãdem ad vltima Fori verba deuenimus, *& quod non sit de alieno Regno*, quod ab antiquo Hispaniæ inter Suprarbienses Foro emanatum videri, vel ipsa illius littora nos docet, & omnium testimoniis comprobari; sed de hac indigenarum prælatione alibi latius verba facturi, hic hisce non immoror, ne iusto plus Fori huius Commentarius excreuisse videatur.

DE IMMVNITATE MILITVM, ET INFANTIONVM, EORVMQVE PRIVILEGIIS.

TITVLVS II.

VII. IN NOVISS. COMPILAT. IV. Similis Titulus *de Immunitate Eccles. & Monasterior.* Ann. 1300. Et *De Immunitate Militum & Infantionum, eorumque Priuilegiis*, vt hic, Ann. 1436.

PARATITLON.

DE IMMVNITATE, & PRIVILEGIIS Militum, & Infantionum, *hic*, atque Richorum hominum *For.* 1. *hoc tit.* Et vt nunquam teneantur dare Regibus *herbagium*, neque *bobalige dict. For.* 1. cui iungendus est §. *Item, que el Señor Rey, è sus Sucessores no demanden, in For. Priuileg. Gener.* Ann. 1283. Et *Tit. Quod Dominus Rex non recipiat Monetaticum in locis Baronum, nec Infantionum*, Ann. 1300. Vtque omnis Infantio libere possit emere ab Hominibus Regis hæreditates, & possessiones, easque ab omni Regali seruitio infranquiare *For.* 2. *hoc tit.* Sicut Regales Homines ab Hominibus Infantionum eas emunt *dict. For.* 2. Item vt omnes Infantiones, qui habent *Sal*, siue *Salinas* illis more solito vtantur. *For.* 3. *hoc tit.* Et §. *Item que todos los de el Reyno, in For. Priuileg. Gener.* Ann. 1283. Et §. *Item que puedan, in For. Declarat. Priuil. Gener.* Ann. 1325. Et quod Quicumque Milites & Infantiones, qui in locis Regni dege-

rin

rint illorum gaudeant priuilegiis, & defenſioni ſicut cæteri inſiſtant. *For. Los Priuilegios, hoc tit.* Ann. 1436. in quo primum concepta Rubrica iſta fuit.

ERBAGIVM, *neque* BOBALIGE *non tenentur præſtare Regibus Richi Homines, Milites, nec etiam Infantiones Aragonum.*

ITEM ſtatuimus, quod neque Richome, neque Miles, neque Infantiones Aragonum dent, neque teneantur dare nobis, neque ſucceſſoribus noſtris Erbagium, neque Bobalige.

RELATIO QVA VTIMVR. *Item* * *quod nunquam de cætero Richi Homines, Milites, nec etiam Infantiones Aragonum teneantur dare ſibi, nec ſucceſſoribus ſuis Boalage, nec Erbage.*

OBSERVANTIA. *Item*[1] *habent Priuilegium* (Richi Homines, Milites, & Infantiones Aragonum) *quod numquam dant Boalage, nec Herbage vt in Foro Exeæ.*[2]

NOTÆ.

* Forus 1. *hoc tit. in nouiſ. Compilac. lib. 7. t. 3. fol.* 139. *col.* 3. de quo Surita *Annal. lib.* 3. *c.* 67. & *an Ind. lat. hoc Ann.* Bernardinus Gometius *in Iacobo d. lib.* 16. *in fin.* & *in Hiſt. Hiſp. d. lib.* 16. *cap.* 14. Ioannes de Bardaxi *in Commentar.*

1. Obſ. 13. *Tit.* 2. *de Priuileg. milit. & nepot. Milit. lib.* 6. deſumpta ex Obſ. Ms. Salanouæ *Tit. de Priuileg. Baron. & Richor. hom. Arag.* totidem ponè verbis, quam illuſtrant Bages *in Gloſ. p. m.* & ex eodem Salanoua Blancas *in Comment. rer. Arag. Tit. de optimat. & Palatin. p. m.* 732. *ad med.*

2. Scilicet hoc noſtro Foro.

COMMENTARIVS.

I. HOc dicit Forus, Infantiones, Milites, nec etiam Richi Homines non tenentur dare Herbage, nec Bobaxe Domino Regi. IOANN. DE BARDAXI.

II. Poſt interdictam Regiæ liberalitati, ſuperiore capite, facultatem, TERRAM ſiue HONORES in Regno donandi aliis quam Hominibus, quibus diximus, Richis; Tria etiam alia eiſdem, Militibus, ac Infantionibus Regni, priuilegia, hoc Titulo irrogantur, & in primis hoc capite, *Immunitas* ab *Herbatici*, ſiuê *Erbagii*, & *Bobatici*, ſiuê *Bobaligii* Tributo, vt quod Aragonenſium morum ſcriptis, ſæpê iactari ſolet, *nihil magis proprium eſſe Infantionibus Aragonum, quam reciperè* à Regibus, *& non dare* ipſis *pro aliqua villania*, vt dicitur in *Obſ.* 1. *Tit. de Priuileg. Milit. & Nepot. Milit. lib.* 6. Et in *Obſ. vnic. de Muni[...] Conſtruct. dict. eod. lib.* verê hic quoque poſſ[...] ingeminari; neque aliter etiã de Richis Homi[...]nibus, ac Militibus ſtatui oporteat, cum e[...]dem, & maiora quam Infantiones Regni, Pri[...]uilegia ipſi habeant, vt vidimus ſup. in *Obſ.* in *For. vnic. Tit. ſupra proximi*, & ex hoc etiam Foro ſatis perſpicitur; in quo vt exilem, & ie[...]iunum, vel nullum melius dicam, Ioannis Bar[...]daxini noſtri *Commentarium*, qui tantum il[...]lius ſententiam ſicco, vt vidimus, calamo de[...]ſcripſit, ſuppleamus, ante omnia quid *Erba[...]gii*, ſiue *Heruatici*, quidve *Bobaligii*, ſiue *Bo[...]batici* nomina, ſibi vellnit, ſtatuendum eſt.

III. Quippe Tributi, ſiue ſeruicii gene[...]ra iſta fuiſſe, extra aleam eſt, eaque apud ma[...]iores vſitatiſsima, *Bobaligii* enim, ſiue *Bobati[...]ci*, vt de eo nunc primum videamus, quod & alias *Iugatio* dici ſolitum, ab agrorum ac poſ[...]ſeſsionum menſura, à *Iugis* animalium, quibus

poſ-

possessiones exercentur desumpta, quæ & *capita* etiam vocabantur, pro eorumque numero ac modo, certa Cæsaribus pensitatio præstabatur, crebra mentio est *in l.3. & l.vlt. Cod. Theod. de censu.l.2.& 4.de censit.l.2.de excoction.l.4.de equorum conlatione,l.36.de Decurionib.l.vlt.de Patrociniis vicor.l.1.ne quid publicæ lætitiæ,l.4.de indulgentiis debit.l.6. de extraord.muner.l.1.de impon.luc.descript. l.1.C.Iustin.de quib.muner.vel præstac.l.10. de susceptorib.* Ac iugerum, iugationum, & iugorum capitationis, *l.1.2. & 3.C.Theod. Ne conlat.transl.postul.l.1.de protestat.l.1.de Priuileg. dom. August.l.3.C.Iustin. de Episc. & Cler.l.1.de impon.lucrat. descript.l.9. de agricolis & censit.* Iustinianus *Nouell.17.* Vnde & capitatio prædii dicitur *in l.9. de acti.empti,* & capita siue iuga *l.vlt.C.Theodos.de conlat.donatar.l.5.de itinere muniend. l.6.de extraord.* iugatio vel capitatio, *l.vlt. Cod.Theod.de censib.l.11.de exact.* iugorum capitatio *l.1.Cod.Theod.de immunit.conces.* Nec alio etiam sensu accipiendi Eumenius *in Gratiar. act.* Flauiensium nomine ad Cōstantinum Magnum, Amianus Marcellinus *lib. 16.p.69.* de Iuliano, & *lib.17.p.97.* Saluianus *lib.5.de Prou.* Sydonius Appolin. *carm. 13.*cum Isidori *Glossis*, apud virum clariss. I. Gotofred.*ad l.vnusquisque 15. Cod.Theodos. de Annonis & Tribut.* quibus addo, de simili etiam huic Bobum, & Corii tributo Ernestum Brotourff. *in Chron. Mersburg. lib.1. cap.1.*apud Gasparem Klochium *de Contrib. cap.1.num 332.* Et post Lexicon iur. *verb. Iugatio, & Iugum, p.m.284.* Henric. Spelm. *in Glossar. Archaiolog. eisdem verbis pag. mihi 327.*

IV. Cæterum de Bobatico nostro, eiusque origine à Cathalanis sumpta, apud Suritam legimus *Annal.lib.1.cap.69.in princip.* fuisse, *Cierto seruicio, que se hizo en reconocimiento de el Señorio à los Reyes al principio de su Reynado, en el qual contribuìan los Eclesiasticos, i las Ciudades, i Villas de el Principado de Cataluña, i comprehendia todos los Lugares desde Segre hasta Salsas, i se pagaba por las juntas de Bueyes, de donde tomó el nombre, i por las cabezas de el ganado mayor, i menor, i por los bienes muebles cierta suma, la qual se fue variando conforme à los tiempos*: quæ tanti Auctoris verba vt illustriora faciam, haud grauabor formam idem Bobatici tributum exigendi à Petro II. Arag. Rege, atque Iacobi filio & successore, Ann. Dom. M. CCC. LXXVI. eiusque Regni I. traditam, & ex Tabulario Episcopi Vicens. *Armar.variar.rer.num.44.* à D. Ludouico de Moncada eiusdem Sedis Canonico ac Decano *in Hist.Ms.* Episcoporum suæ Ecclesiæ conductam, ad calcem Commentarii referre, forsàn eruditis quibusque placiturus; dum interim de eodem, ipsum Suritam damus, extraordinem quandoque etiam depenci solitum *ibidem* prosequentem : *I se concediò primero, fuera de lo acostumbrado en tiempo de el Rey D. Pedro, Padre de el Rey D. Iayme, el año* M. CC. XI. *para la guerra contra los Moros, i para la ida de la batalla de Vbeda, siendo a ello obligados ; i tambien se concediò al mismo Rey graciosamente, quando casò sus hermanas con Federico Rey de Sicilia, i con los Condes de Tolosa.* Nec minùs etiam Iacobo nostro I. Petri filio, in Balearici, ac Valentini belli primùm sumptus, deinde tertiò vt Alfonso Castellæ Regi genero suppetias laturus bellum Murtiense adornaret; de quo apud eundem Suritam *Annal.l.3.c.66.* de quo statim. Et hæc de *Bobatico.*

V. De *Herbagio* vero, siue vt latiniùs forsàn *Herbatico*, Forensi voce à Gallis mutuata, apud quos etiam nunc *Herbage* nominatur vestura illa terræ, quæ dentibus animalium decerpitur, vt notat Spelman. *in Glossar. verb. Herbagium p.m.288.* vbi etiam subiungit occurrere frequenter pro iure depascendi alienum solum, vt in Forestis, quo sensu & hic accipitur. Et apud priscos etiam *Scriptura*, siue *Scripturæ tributum* solitum appellari, vectigal fuisse Romano etiam in Orbe ab his, qui siluis, pascuisve publicis vterentur, pendi solitum, nulli non notum putem, qui vel Plinium *lib.8.c.3.* Ciceronem *ad Atticum lib.1. & pro Flaco*, Varronem *lib.4. ling. Lat.* vel eundem Ciceronem *2. de Oratore* euoluerit, vbi de lege *Thoria* eos, quorum pecora agros, publicos depascerent, mulctante verba faciés, de qua etiam idem Varro *ling. Latin. lib.2.c.1.* vbi ait, ideo Pastores numerum capitum sui pecoris apud Scripturarium profiteri solitos, & in singula capita aliquid dependere, quod *Scriptura* dictum est; non autem esse fas Scripturario pecudem pro Scriptura accipere; de quo & Plautus *Trucul.* illis verbis: *Nam aduersum legem à me ob meam scripturam pecudem accepisset*; Indeque etiam *& mulctatitia pecunia*, quæ à pecuariis damnatis ab Ædilibus exigebatur, passim dicta, de quo exserti sunt loci apud Ouid. *Fastor.lib.2.* Liuium *Histor.lib.10.Decad.1.* & Silium *Belli punic.7.* Sed cunctis elegantior Iuvenalis, vbi de siluis Iudæis interdum cessis, vt ex illorum arboribus vectigal exigeretur:

> *Nunc sacri fontes,* (inquit) *Nemus, & Delubra locantur.*
> *Iudæis, quorum cophinus fœnumque supellex,*

Omnis enim populo mercedē pendere iussa est Arbor.

Apud Bullenger.*de Imper.Rom.lib.9.cap.*12. Klochium *vbi sup.*

VI. Diximus de *Bobatici*, ac *Herbatici* tributis, à quo tamen liberos esse Infantiones Aragonum sub Petro I.Rege planē fassus est Alfonsus Legionensis in Priuilegio, siue Foro eisdem dato Ann. Dom. 1134. illis verbis: *Et quod non donassent Lezda in tota sua terra neque Herbatico*, vt ibidem notaui; sed cum Murtiensis belli nouà occasione arrepta ab Aragonensibus quoque, vt & à Cathalanis, ac in eosdem belli sumptus pecunia adiuuari Iacobus I. vellet, expostularetque idem Bobatici tributum ab iisdem sibi impendi, *Declarandose, que recibiria contentamiento, en que el seruicio fuesse de el modo, que los Catalanes se lo auian concedido i ofrecido, que daria sus Prouisiones, para que aquello no les pudiesse para lo de adelante causar perjuizio*, vt idem Surita dicto *vbi sup.* loco memoriæ prodit; at incasum id fuisse adnitentibus contrà pro virili tum Ferdinando Sancii Regis filio, cum Proceribus illis, cum quibus diuisum pœnē Imperium, sed iniuria, Rex habebat, Richis, inquam, hominibus, id haud quaquam ferendum, permittendumve conclamantibus, ac ipso Eximino Vrrea, Ferdinandi, quem diximus, socero, vel Rege coram ingeminante, ipsique audacter satis obiciente: *Que en Aragon no sabian que cosa era Bobage, que se marauillauan, que se nombrasse semejante genero de eruicio, nunca vsado, ni oìdo en la tierra, porque todos los de las Cortes se auian alterado, que quisiesse introducir nueuas maneras de vexar al Pueblo, i desaforar los Ricos hombres, i Caualleros, con sola razon de alegar, que le era concedido en Cataluña, que era tres doblada tierra; y dezian, que todo cargaria sobre el Pueblo, porque el Rey ofrecia, que el prouecho se comunicaria con los Ricos hombres, que tenian tierras en Honor, i trataba de ganar su voluntad con prometerles, que les haria francos i libres de aquel seruicio, con solo que ellos lo otorgassen, i fuesse socorrido de las Ordenes, i Clerecia i de las Vniuersidades*, vt ipsemet Surita *dict.loco* testatur; idque ipsum quam sæpissimē eidem Regi obiecisse: *Teniendo por grande agrauio, que el Rey, con ningun pretexto intentasse introducir en Aragon el Bobage, i Herbaxe, que eran imposiciones, i tributos, que nunca sus Antecessores auian lleuado*, vt ait idem Surita *d.loco*.

VII. Sed siue nimio ardore, dicendique cupiditate, ne dicam licentia, id forsan factū, haud tamen facilē in re tam clara, vtpote quæ facti esset, Regis Richorumque hominum sibi inuicem constitisse testimonia obseruandum est; negantibus quippē istis, vt iam vidimus, neque adhuc nomine tenus agnitum ab Aragoniis Bobatici tributum, vel ab vllo hominum dicti Regni pendi solitum; ē contra verò Rege, medio Arnaldo Peralta, Cæsaraugustano Episcopo, vti iam supra quoque in initio monuimus, ipsis respondente apud eundem Suritam *dict.loco*: *Que en quanto al Herbage, i Bobage, el Rey auia desistido de aquella demanda, i nunca se auia cobrado de Cauallero, i que lo auia dexado generalmente, saluo por aquellas personas, que lo solian pagar antiguamente*, quod cum allatis supra Eximini Vrrea verbis, id tributi genus, nec nomine quidem ab Aragonensibus cognitum, iactantis, haud facilē componi poterit; nisi dicamus, quod nunc primùm mihi occurrit, verba Regis ad *Quintam*, siue *Quintæ* tributum, ipsi Regi Iacobo in Valentini belli sumptus ab eisdem Aragonensibus concessum, referenda esse, cum de ipso apud eundem Suritam *l.4.c.38.* quam expressē legatur tempore Regis Petri, Iacobi nostri filii, à Richis ipsis hominibus aprimè concupitum, *Que se abolitesse en el Reyno, i se quitasse la Quinta, que era cierto tributo, que se pagaua por las cabezas de el ganado, à manera de el Bobage de Cataluña, que auian concedido graciosamente al Rey Don Iayme en socorro de la guerra, i conquista de el Reyno de Valencia, i que no se diesse de ningun ganado, ni por otra razon alguna; temiendo la introducion, porque lo que se concedia por alguna necessidad mui vrgente, se pretendia como cosa ordinaria, i assi estauan mui recatados en no dar lugar à este genero de tributo, porque tenia gran semejança con el Bobage, que estaua mui introducido en Cataluña*, quæ pulchra sanē ad rem hancce illustrandam, Auctoris verba, alio etiam loco à nobis prosequenda sunt; nunc tantùm ex illis certô colligentes, sin minùs *Bobatici* nomine, re certe tributum illud ab Aragonensibus tunc quoque sub *Quintæ*, siue *Quinti* nomine pendi solitum, exceptis Militibus, quod Arnaldus Episcopus Iacobi Regis nomine ipsis ingeminauit; cuiusque testimonio hac in parte deferendum, præter multa alia, & illud etiam hoc suadet, quōd edito deinde hac de re apud Exeam Foro isto, neque omnino tributum hocce à Regno eliminatum aut expulsum fuisse, vt ipsi conclamabant, videtur; sed illius tantum Richi homines Milites, ac etiam Infantiones dicti Regni immunitate, sed qua iam tunc ipsi potiebantur, à Iacobo donati, atque in posterum ab eo exempti, franchi, ac liberi declarati, & confirmati fuerunt; quod lectio eius nos docet à Surita etiam

etiam *Annal.dict.lib.3.c.67.* ipsissimis verbis relata, dum inquit, inter cætera cautum fuisse à Iacobo Serenissimo Rege ipsis Exeæ Comitiis: *Que los Ricos hombres, Caualleros, è Infançones no fuessen obligados a pagar Herbage, ni Bobage.* Quod neque etiam apud Cathalanos ipsos, à quibus tantùm primitus, vt vidimus, pendi solitum, diu, multumve durauit, eodem Rege Petro, quam simillima huic nostro Foro gratia, Ann. Chr. M. CC. LXXXIV. ipsis donante, vt est apud eundem Suritam *Annal. dict. lib.4.c.40.* Iacoboque eius filio, id etiam ipsis ducentarum mille librarum summà sibi ad Murciæ, atque Siciliæ regnorum expeditiones prestita, penitus & omnino, atque signatis ea de re Tabulis, quas huc vsque *Cartam Bobatici* dicunt, remittente: de quo præter Cathaloniæ rerum ac legum nobilissimos Scriptores, quam sæpissimè, vel vnus etiam Hieron. Surita ipse *Annal. lib.5.c.35.* legi potest. Et iterum de hoc nostro Foro *In Ind. Lat.* A.D. 1265. dum illum sic refert: *Ne quis Procerum Nobiliumve, Bobatici, aut Scripturæ Tributum (Herbaticum ipsi appellare consueuerunt) dependat*, à quibus nec abludit etiam ipse Bernardinus Gometius *de reb. gest. Iacobi Regis, lib.16. in fine*, haud ita verò (quod in Homine ad eruditionem composito dolendum est) dum se ipsum, suamque Iacobi Regis Historiam Hispane loqui fecit *dict. lib.16. c.14.* vbi sic Forum hunc refert: *Que ningun Señor, Baron, ni Noble pagasse Bobage, que en Aragon corresponde à Herbage*, quibus præterquam quod minùs propriè saltem Richorum hominum Militum, ac Infantionum Aragonum, de quibus *dicti Fori* nomina interpretatur, vnum tantum etiam tributum ex Bobatico Herbaticoque marte suo facit, cum diuersa fuisse etiam ipse latinè loquens agnouisset; quemadmodum vti & Ximinus etiam ipse Petri de Salanoua in suis Obs. Ms. vbi vt vidimus scripsit: *Item habent Priuilegium* (Richi homines nempe, Milites, ac etiam Infantiones Aragonum, de quibus ibi loquitur) *quod nunquam dent Bobage, nec Herbage, vt in Foro Exeæ*, i.e. in hoc nostro Foro: ad cuius omnigenam tandem illustrationem vltra laudatos *sup. in Notis* Bobatici, etymon quoque & naturam explicantes, idem Surita *Annal. lib.2.c.69.* & *in Ind. Lat. lib.1. fol.106. & lib.2. fol.112. & 114.* Bernardinus Gometius *in vita d. Iacobi Regis lib.2.* Andr. Bosch. *dels Titols de Honor de Catalunya lib.1.c.26. & lib.2.c.23.* Escolano *lib.3.c.4.* Ioan. Dameto *Hist. Maioric. lib.1. tit.1. §.5. fol.201.* videri possunt, vt emendetur Beuterus Valentinus *lib.2.c.50.* apud Ioan. Francisc. Andræam nostrũ *in Not. ad method. celebr. Curias Hieron. Blancæ cap. 18. pag. mihi 105.* quem consulas.

Omnis Infantio *potest emere Terras ab Hominibus Regis, sicut Vassalli Regis easdem possunt emere ab Hominibus Infantionum; Et quod Terræ sic emptæ ab omni regali seruitio liberentur.*

II.

Item [1] Statuimus quod de cætero Homines Infantiones possint emere ab nostris Hominibus Hereditates & possessiones, prout Regales Homines possunt emere ab Hominibus Infantionibus. [2] Et Hæreditates, siue possessiones, quas emerint ab eis, sint de cœtero franchæ & liberæ ab omni regali seruitio.

RELATIO QVA VTIMVR. *Item ★ quòd omnis Infantio de cætero possit libere emere ab Hominibus Regis hæreditates & possessiones, pro vt Regales homines possunt ab Hominibus Infantionum;* [3] *& Hæreditates siue possessiones, quas emerint ab eis, sint de cætero Infantionæ, Franchæ & liberæ ab omni Regali seruitio.*

OBSERVANTIA. *Item* [4] *habent Priuilegium quod possunt emere à peyteriis Villani Domini Regis, & non tenebuntur peytare, si emerint caput mansum,*

vt

Vt in Foro Exeæ[5] dicitur. Et licèt in dicto Foro dicatur tantùm de emptione, idem tamen seruatur quocumque titulo adquirant;[6] quare seruatur quod licet villana nubat Infantioni, pro bonis suis teneatur peytare dum vixerint vt solidi;[7] mortua tamen eà, filii eius, qui Infantionis erunt, amplius non peytabunt, per dictum Forum Exeæ;[8] quamvis sit[9] contra Forum de Conditione Infantionat. & proclamantib. in seruitut. cap. Villanus in fine lib. 6.

NOTÆ.

* Forus 2. *eod. tit. in nouis. Compilat. lib. 7. t. 3. fol.* 129. *col.* 3. omittitur à Surita *in Annal.* & *in Ind.* Gometio *in vita Reg. Iacob.* ac Blanca *in Comment. rer. Arag.* Illustratur tamen ex Pragmaticis nostris à Molino *in Repertor.* verbo *Infantio. fol.* 174. *col.* 2. *in fine, vel* 3. *in princip.* vbi Portoles *p.* 79. Ioann. de Bardaxi *in Commentar.*

1. Caput hoc in originali horum Fororum Compilat. sexto loco refertur; sed ex quo in nouiss. Compilat. qua vtimur, secundum huius *Tit. de Immunit. Milit. &c.* caput audit, ideo & hic etiam secundo hoc loco ponitur.
2. *Ab Hominibus Infantionibus.* In Relat. qua vtimur, *ab Hominibus Infantionum*, vt *infra*, quod diuerse sonat.
3. *Ab Hominibus Infantionum.* Vide notat. *sup. not. proxim.*
4. Obs. 2. *Tit.* 2. *de Priuileg. milit. & nepot. Milit.* desumpta ex Obs. Ms. Iacobi de Hospitali *eod. tit. Obs.* 3. *fol. m.* 68. repetita inter Obs. quoque Ms. Garsiæ Simenii, & Sancii Simeni de Aierbe *eod. tit. Obs.* 2. *fol. m.* 134. & ad eam videndus Bages *in Glos. ad hanc eandem Obs.* vbi id ipsum Cæsaraugustanis Ciuibus à Petro IV. Rege Ann. Chr. 1348. in eadem Ciuitate 8. Kal. Octob. Priuilegio irrogatum haud omittit.
5. *Caput mansum.* De quo scilicet in *d. Foro Item si Infantio vnic. Tit. de expedit. Infant.* Ann. Chr. 1247. qui hoc Exeæ Foro corrigitur, vt ad eundem iam dixi.
6. *Adquirant.* Et recte quidem, cum *emptionis* verbo omnis alienatio comprehensa sit, de quo in *Commentario.*
7. *Vt solidi.* In Obs. Hospitalis, Garsiæ Simenii, & Sancii Simeni de Aierbe ita plane legitur, sed in Compilatis, editisque, *vt villana*, de quo in *Commentario.*
8. *Exeæ.* Scilicet per hunc Forum, de quo vide Molin. *in Repertor. verbo Domini locorum etiam si.*
9. *Quamvis sit.* Hæc verba desunt in Obs. Compilat. sed malè, de quo in *Commentario.*

COMMENTARIVS.

I. FORVS dicit, Quod Infantio possit emere à Vassallis Regis hæreditates, & possessiones, sicut Vassalli Regis ab Hominibus Infantionum eas emere; & quòd possessiones, quas emerint ab eis, sint franchæ & liberæ ab omni regali seruitio. IOANN. DE BARDAXI.

II. HOMINES Infantiones posse de cætero emere ab Hominibus Regis hæreditates & possessiones, pro vt regales homines possunt easdem emere ab Hominibus Infantionibus, hoc Foro statuitur; & quod hæreditates, possessionesve, quas sic ab illis emerint, sint de cætero franchæ & liberæ ab omni regali seruitio; quod & alterum est ex Priuilegiis Infantionibus Regni his Comitiis delatis. Quippe cum iam de Anno 1247. medio Foro *Item si Infantio vnic. Tit. de expedit. Infantionat. In compensationem eorum, quæ superiùs* (in d. Foro) *continentur, & debent Infantiones Regi facere*, concessum eisdem fuisset inter alia, *emere ab Hominibus regalis seruitii siuè signi: ita tamen quod in eiusmodi emptione Principis dominium non defraudaretur, quod vulgariter dicitur caput mansum; & possessiones, quas ita emerent tanquam Infantionas possidere in posterum*, & habere, de quo ibi latê diximus; in hoc quidem illa limitatio abrogata fuit, nempe quod ex dictis emptionibus Principis dominium non defraudaretur, quod vulgariter dicebatur *caput mansum*; eisdem *liberè* eas emendi potestate factà, vt in hoc Foro, quod etiam labente tempore ad hæreditates, & possessiones non solùm iure emptionis, sed alio quouis titulo adquisitas, propagatum fuisse, vel Iacobi Hospitalis testimonio, qui sæculo post hunc Forum scribebat in Obseruantia *supra* posita satis comprobatur, illis verbis: *Et licet in d. Foro dicatur tantùm de emptione, idem tamen seruatur quocumque titulo adquiratur*; quippe cùm *emptionis* verbo omnem *adquisitionem* cóprehendi non incerti, ne-

neque inexplorati iuris sit, *l. statuliber. 19. §. Quintus Mucius, ff. de statul. b. l. si vsumfructum 23. §. 1. ff de lib. caus. l. sunt, §. vendi-tionis, ff. quib. mod. pig. vel hyp. tec. solv.* Rebuff. *ad Rubric. ff. de verb. signif. col. 1. vers. in 2. part. quæst. 3.* Andreas Tiraquellus *de retract. lignag. Glos. 2. à num. 1.* Franciscus Molin. *de rit. nuptiar. lib. 3. quæst. 71. num. 21.* Neque aliter etiam inter Obs. quoque Ms. Garsiæ Simeni, & Sancii Simeni de Aierbe Iusticiar. Arag. *Obs. 2. fol. m. 134.* qui de moderna sui temporis praxi ita testantur; *quare seruatur quòd si villana nubat Infantioni pro bonis suis tenentur peitare dum vixerint vt solidi;* (in Obs. Compilat. legitur *vt villana* (vt in *Notis* iam monui) *mortua tamen ea filii eius, qui Infantiones erunt, amplius non peitabunt per dictum Forum Exeæ, quamvis sit contra Forum de Condit. Infantionat. & proclamantibus in seruitutem, cap. Villanus in fine lib. 6.* scilicet Oscæ Ann. Chr. 1247. Quæ verba: *Quamvis sit contra Forum,* & infra, ab Cōpilatoribus abrasæ fuerunt, sed non optime, Nam cùm dicto Foro statutum fuisset. *Quòd Villanus licet nihil habeat cum duxerit Infantionam, si habitauerit in Hæreditatibus Infantionæ dum vixerit erit liber, sed filii sui ab ea suscepti erunt villani domini Regis in perpetuum cum omni generatione eorum; ipsa vero Infantiona non recipiet satisfactionem ab aliquo dedecore sibi facto, qualem debet recipere Infantiona, quamdiu fuerit viro villano alligata.* Et statim adderetur: *Secus tamen est de Infantione, qui si villanam duxerit in vxorem, generet tamen filios Infantiones, nisi hæreditates possideant signi Regis, tunc enim de illis tantum hæreditatibus Regi seruient vt villani,* id hac nostra obseruantia planè sublatum fuit, & secundum vsum, & foristarum Regni intelligentiam, hoc Exeano Foro correctus ea in parte Oscensis Forus vt ad ipsum iam monui, & latè legi potest apud Ant. Bagium *in Glos. dict. pag. m. 235.* ac Molin. *in Repertor.* verbo *Infantio dict. fol. 174. col. 2. in fine, vel 3. in princip.* vbi Hieronym. Portoles *pag. 79.* quem videas.

Omnes INFANTIONES *habentes Sal, siuè Salinas, illis more solito vtantur.*

III.

ITEM [1] Quod omnes Infantiones, qui habent Salinas, quod vtantur eis secundum quod hactenus consueuerunt.

RELATIO QVA VTIMVR. *Item* ★ *quòd omnes Infantiones, qui habent Sal, siue Salinas, vtantur eis secundum quod hactenus consueverunt.*

NOTÆ.

★ Forus 3. *eod. tit. in nouiss. Compilac. lib. 7. tit. 3. fol. 129. col. 3.* omittitur à Surita, Gometio, ac Blanca *vbi sup.* sed laudatur à Molino *in Repertor.* verbo *Sal.* Ioann. de Bardaxi *in Commentar.* D. Ramirez *de leg. Reg. §. 26. num. 8.* Dom. Hieronym. Ximenez de Aragues *in Discurs. de el Oficio de el Bayle, §. 9.* & à Nobis ad For. huic nostro concordant. nempe *ad §. Item que todos los de el Reyno in For. Priuileg. gener.* Ann. Chr. 1283. Et *§. Item que puedan, in For. Declarac. Priuileg. Gener.* Ann. Chr. 1325.

1. Caput hoc in originali horum Fororum Compilat. etiam octauo loco ponitur, sed quoniam in nouissima, qua nunc vtimur, Terrtium huius *Tit.* audit, ideo hic, & à nobis collocatur.

COMMENTARIVS.

I. DICIT Forus, quôd Homines Infantiones habentes Salinas, vtantur eis, sicut antea facere cõsueuerunt. IOANN. DE BARDAXI.

II. DATA fuit insuper Tertio loco omnibus Infantionibus Regni his Comitiis, vel restituta, vt iubet, facultas, qua vti possent Sale, siue Salinis suis, quemadmodum anteà ab illis fieri solitum erat, vt Forus hic præsefert; cuius vt veram mentem non insulsê assequamur, præmittendum est Salem nihil aliud esse quàm mixtum quendam ex terra & humore succum, in salsum, vi caloris, saporem concretum; calidum facultate quidem, atque siccum, sed qui reliquas qualitates primas haud inertes in se continet; naturæ ac conseruationi rerum adeo vtilem ac necessarium, vt ad animãtium tum fœcunditatem, tum salutem, atque vitæ iucunditatem diuinitus procreatum omnino esse videatur, vt dapsilê describitur à Bernardino Gomecio nostro *de Sale lib.* 1. *pag.m.* 58. *num.* 13. vbi ad *aquatilem*, & *fossilem*, præcipua ipsius genera, omnes omninô illius gradus, atque speties reducit, & quanti semper habitæ fuerint, ac quomodo auctæ, & excultæ *Salinæ*, siue *Salinaria* ista hæc, vt vocantur *in cap. super qu bus, §. preterea de verbor. signific.* omni æuo fuerint, adeo fœliciter explicat, vt & nos ab vlteriori indagatione facile etiam absoluat.

III. Earum Dominium si historiæ vestigia prementes perlustremus, apud Romanos nihil antiquius circa hæc, quàm quöd Dionisius Halicarnassæus *Antiquitatũ l.* 2. tradit, Salinarum, *quas ad ostia fluminis Veientes habuere*, quasque illis deuictis Romulus primùm, deinde & Ancus Martius, in quem surrexerant, sibi acceperunt, vt idem Dionisius ait *lib.* 3. imo & hac occasione Idem Ancus: *Sex millia modia salis populo in congiarium dedit, & primùm salinas instituit*, vt refert Plinius *hist. nat. lib.* 31. *cap.* 7.

IV. Cæterum his Principibus Tributa Salis in vsu iampridem fuisse ex Livio disco, *Hist. lib.* 2. vbi cum de Bello Porsenæ propter Terracinos verba facit, subiungit Senatum, quo indocilem plebem sub mandatis cohiberet, *Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso prætio veniebat, in publicum omne sumptum ademptum priuatis*, ipsis concessisse, ex quibus inaugurari licet iam olim tributum salis impositum. Postea Consulibus Publio Valerio, & T. Lucretio anno ab V.C. 245. primũ Romæ, quo Plebis commodo cõsuleretur, publica salis collectio (*Estanco* dicimus) visa est; Sed cum Italia grassante Annibalis bello afflicta esset, exhausto publico ærario, M. Livius Censor noui salis tributi author fuit, & hac de causa *Salinator* passim dictus Do Liv. *lib.* 29. in fine, qui hæc testatur, additque Paulum Æmilium Macedonum bello extincto, Dardanis salis commeatum indulsisse, sed Macedonibus, ne ab exteris salem adsportarent, prohibuit. Ita idem *lib.* 45.

V. Sed quæret aliquis; An M. Liuii Salinatoris Tributum Salinas tantùm publicas tãgeret, vel collectio illa publica etiam tũc temporis existeret? Adhuc sub Iudice lis est. Il equidem crediderim, quôd Ciceronis tẽpore saltem in Prouinciis, tributum invalescebat, cũ ipse in Oratione *pro Lege Manilia* tributa quæ Respublica in Asia amittere par erat: *Quo tandem animo* (ait:) *Quirites, esse existimatis, aut eos qui vectigalia vobis pensitant, aut eos qui exercent, atque exigunt, cum duo Reges cum maximis copiis propè adsint? cùm vna excursio equitatus, per breui tempore totius anni vectigal auferre possit? cùm Publicani familias maximas quas in salinis habent, quas in agris, quas in portubus, atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur.* Atque ipsi passim huius generis tributi memores sunt textus *in l.* 9. §. 1. *de hæred. inst. l.* 13. *de publicanis, l.* 17. *in fine, de verb. signif.* Vbi Alciatus cum aliis apud Iulium Cæsarem Bullengerum *de vectigalib. cap.* 21. Quovsque Iulius Cæsar *Legem Agrariam* condidit, qua sibi populum conciliare studuit, vectigalia cuncta & portoria illi remittendo, vt ex eodem Cicerone liquet *lib.* 2. *ad Atticum, epist.* 16. Vnde colligi potest quôd eà latà fundorum Domini paulatim Salinaris quas in fundis suis haberent, vti cæperint, quo tendere visus est idem Cicero *Epist. famil. lib.* 7. *Epist. penult.* dum inquit: *Quibus in litteris omnia mihi per iucunda fuerunt, præter illud quod parum diligenter possessio Salinarum mearum te procurante defenditur*, exerti textus *in l.* 4. §. 7. *de Censib. l.* 5. §. 1. *de reb. eor.* ibi: *Sed & si Salinas habeat Pupillus, idem erit dicendum, l.* 32. §. 2. & 3. *de vsufructu legat.* Qui Scævolæ & Vlpiani sunt, & post Ciceronem scripti, atque ita Iure Digestorum publicas, priuatasque fuisse indubium est & testantur Barbosa in l. diuortio, §. *si vir in fundo, ff. solut. matrim.* & Cuiacius *Obs. lib.* 3. *cap.* 31. & *lib.* 9. *cap.* 31.

VI. Sub

VI. Sub Imperatoribus veró, clarius apparet Salis instituta fuisse pleraque Monopolia & inter Regalia eiusdem commercium reputatum, grauibusque indictionibus inhibitum, vt id Arcadii & Honorii Imperatorum Constitutio satis ostendit relata in *l.* 11. *Cod. De vectigal.& commiss.* ibi: *Si quis sine persona mancipium (id est Salinarum conductorum) sales emerit, vendereve tentaverit, siue propria audacia, siue nostro munitus oraculo, sales ipsi vna cum eorum prætio mancipibus addicantur*; cuius illustrationem fœlicius aliis tetigit Pancirola *Variar. lib.* 3. *cap.* 31. *tit. de vectigal. salinar.* & inter alios Alciatú in *dict. l.* 17. *de verbor. signif.* longê superauit, qui Constitutionem hanc cum vectigali à Liuio Salinatore, de quo supra, conferre voluit; cùm tamen nec nos constet eo quidem popularibus salis commertium fuisse inhibitum, neque de aliis salinariis, quàm publicis ipsum loquutum.

VII. Idque ipsum in Italia, & alibi, sub reliquis Imperatoribus deinde obseruatum fuisse probant exerte Aurelii Symachi *Epist.* 58. *lib.* 10. *Quæ de vrbis Italiæque mancipibus*, inscribitur. C*ap.* 1. *quæ sint regalia, in vsibus feudor.* in quo inter reliquas Regalias, *& Reditus Salinarum* connumerantur, ibique Regnerus Sixtinus *de Regalibus lib.* 2. *cap.* 19. non omittendus. C*ap. super quibusdam*, §. *præterea, de verbor. signific.* quod Innocentium III. Auctorem habet, & *ibidem* nouissimê Dom. Don Emanuel Gonçalez Tellez (O! & præsidium, & dulce decus meum) *in Notis in verbo Salinaria, litt. G. num.* 2. Ac tandem *lex* 11. *tit.* 23. *partit.* 3. quæ ad literam *dict. cap.* 1. *Tit. Qua sint Regalia* sententiam exprimit, & ad eam Montalbus ac Lopezius; in quibus consuetudines legesve Prouinciarum, quibus Salinariæ omnes, tam publicæ quàm quæ in fundis priuatorum nascuntur, Regibus reseruatæ; sicut agnosci videntur, quas lato calamo referunt non nouitii Scriptores, quos iungit Petrus Barbosa *in dict. l. diuortio*, §. *si vir, num.* 29. *ff. solut. matrim.* & post eum Brechæus *in dict. l.* 17. §. 1. *num.* 35. *de verbor. signif.* dum aiunt debere inter Regalia numerari, cùm aliter intelligi nequeant, neque alias vllo iure dici possit ea quæ in priuatorum fundis nascuntur, vel quæ liberalis natura primo occupanti concedit, ad Reges iure proprio pertinere, ad cuius rei illustrationem, nec pigebit nos insignem Bernardini nostri Gometii *de sale, dict. lib.* 2. *pag.* 152. *num.* 8. locum transcribere, vbi postquam multa de salis excellentia ac præcipuis virtutibus retulit, hæc addit: *Quæ tam eximia, ac plusquam aurea vis salis, aliæque præcellentes eius virtutes & facultates satis notæ Principibus effecerunt, vt vectigalia, siuè Tributa salis eiusdem fuerint præ cæteris longe chariora. Quinimo ab eo summo salis censu, quo fere sal par est auro, sunt qui non abs re censeant, omnes in vniuersum salinas non minùs quàm auri, argentique & aliorum metallorum fodinas ad solos Reges iure pertinere; aliis vero ex Priuilegio concessas fuisse: atque ideo salem inter iura Regia, quæ Iurisperiti vocant Regalias, annumerant. Vnde mirandum non est Reges publicam salis distributionem (quando id antiquo suo iure faciunt) sibi penitus vendicare; atque tam exortas, quam exorientes vsibus salinas, aut impedire, aut coemere à subditis; vt illarum paucis ad vendendem distributionem retentis, reliquas aut obstrui, aut vsu omnino interdici iubeant. Quod certe haud est à communi Reipublicæ cõmodo prorsus alienum; cum tam magnus illarum proventus sæpè causa sit, vt Populi multo paucioribus, quam alii, tributis grauentur à Principibus. Quorum summa ratio, ac institutum non in eo solum est, vt eiusmodi mercimonio, etsi frugali satis, locupletiores euadant quam vt subditorum, ac popularium suorum animos ad commotiones repentinasve conspirationes procliues, subita interdictione salis tanquàm acerbissima mulcta compescant. Quo circa Reges hæc ipsa salis vectigalia olim populis fere numquam remittebant, nisi ad extremum malorum redacti, præsertim cum viderent se belli tempore in maximas adduci angustias; tunc enim non alio prætiosiori auro sibi conciliari posse putabant popularium animos, quàm aut congiario salis, aut eius tributi remissione. Id autem prætentasse fertur Demetrius olim Rex Macedonum imminente sibi exitiali bello ab Alexandro Rege Syriaco; cum enim ille Iudæorum gentem multis iam annis haberet stipendiariam, quo eorum animos alioqui ab Alexandro sollicitatos ad defectionẽ, arctiore vinculo retineret; inter tam multa, quæ regi à munificientia digna, se illis elargiturum scripsit; prætia, siue tributa salis condonaturum promisit, sed hoc antea (prout sacris etiam monumentis testatum est) ab Artaxerxe Asyriorum Rege eidem Genti ad Salomonis Templum instaurandum multo magnificientius, multoque cumulatius erogatum fuisse legimus. Is enim diuino actus instinctu, captiuis omnibus manumissionem, atque vt in Patriam reddirent, vrbemque & Templum sanctum denuo exedificarent, liberalissimè concessit. Nam Esdræ tunc magno illorum Sacerdoti, vt à præfectis Regii ærarii posset quidquid materiæ ad eam extructuram opus esset exigere amplissimo donauit diplomate. In quo cum auri, argenti, tritici, vini, olei, lignorum, & aliarum rerum immensam fe-*

ferè menſuram, numerum, & pondus expreſſiſſet, vt tandem regio ſe ipſi ſplendiore ſuperaret, cum ad ſalem eſt ventum, ſal, *inquit*, abſque menſura: *Quæ largitas atque communicatio ſalis à Ferdinando Corteſio Hiſpanorum Duce ad Indica debellanda Regna miſſo procurata, eiuſque rogatu à Mexicanorum Principe Tlaſcallenſibus Populis impetrata, extrema fuit illi anchora ad idem Mexicanorum Imperium recuperandum, totque ſubinde Prouincias expugnandum.* Hæc ille.

VIII. Atque ita apud Gallos non tantum Reges hoc ſubditis tributum imponere vſi fuerunt, vt eſt apud Cõtinuatorem Vrſpergenſis, Ann. 1343. ibi: *Hoc tempore Philippus Galliarum Rex intelligens lucri bonum odorem ex quauis re eſſe, tributa ſalis inſtituit; argutum inuentum, quo nemo liber à tributo eſſet; hinc enim Regibus quotannis pecunia ingens penditur.* Sed etiam Comites, ac præcipui Baronum, in quorum ditionibus ſalinaria naſcerentur, veluti de Raymundo Toloſano Comite, Ann. 1217. id narrat Antonius Dandinus Altaſerra *de Ducibus, & Comitibus, cap. 3.* Apud Caſtellanos vero ſatis conſtat Alfonſum XI. Complutenſi in Curia legem dixiſſe, quæ eſt *l. 8. tit. 1. li. 6. Ordinam.* ac *l. 2. tit. 13. lib. 6. Recopil.* quà Regiæ Coronæ omnes ſalinas tam exortas, quàm quæ deinde exorirentur, Regiæ Coronæ, applicuit, adeo vt licèt Gregorius Lopez *in dict. l. 11. tit. 28. partit. 3.* ac Didacus Perez *in dict. l. 8. tit. 1. lib. 6. Ordinamenti* intellexiſſent non ea lege comprehendi, quæ ſiue Priuilegio, ſiue immemoriali poſſeſsione à priuatis poſſeſſæ dignoſcerentur, verùm Azeuedus *in l. 3. tit. 28. lib. 6. Recopil. ex num. 10.* cenſuit limitationi locum non eſſe; Poſteaque Philippus huius nominis II. edictali programate 10. Auguſti, An. 1584. quo tẽpore Miedes noſter, quæ ſupra dedimus, ſcribebat, priuatis omnino commercium ſalis interdixit, & Monopolium inſtituit, iubens vt omnes Regnorum ſuorum ſalinariæ, exceptis Bœticæ ac Granatæ, Regiæ Coronæ applicarentur, Priuilegiis quibuſque, vel etiam immemoriali Dominorum earumdem poſſeſsione nihil obſtantibus, dummodo illis tamen de ipſarum valore ſatisfieret, quæ hodie eſt *l. 19. Tit. 8. li. 9. Nouæ Recopilat.* Ac tandem Philippus IV. id perfecit, cùm iuſsiſſet Bæticas etiam ac Granatenſes ſalinas Regiæ Coronæ applicari, vt in Schedula ſua 3. Ianuarii 1631. relata apud Dom. Dom. Ioan. Baptiſta de Larrea *Alleg. Fiſc. 77. num. 15.* in qua & quatuor ſequentibus longè lataque materiam hanc proſequutus eſt; qua ratione potuit iure à P. Ludouico de Torres *de iuſtit. diſp. 43. dub. 1. num. 5.* affirmari apud Caſtellanos omnia indiſtinctè Salinaria ad Regem pertinere, licet in priuatorum fundis exiſtãt, quæ ad hæc, ſed abſque noſtra obſeruatione, laudat Anteceſſor noſter in munere Adſeſſoris Regiæ Aragonum Baiuliæ Dom. Dom. Hieronym. Ximenez de Aragues *in Diſcurſ. Baiuli General. §. 9. num. 7.* Poſſuntque etiam videri de Galliæ Salinariis vltra laudatos ſupra, Carolus de Graſſalis *de Regal. Franciæ*, verbo *Salinæ*, poſt Prateyum *in Lexic.* verbo *Salina.* Luſitaniæ Anton. Gamma *deciſ. 31.* ac Georgius Cabedus *tom. 2. deciſ. 15. d. 53. ac 81. num. 2.* Neapolis R. Moles *deciſ. Cameræ ſumariæ, §. 20. per tot.* Indiarum Eſcalona *in Gazophilatio Indico, part. 2. cap. 23.* ominoſum neſcio quid comminiſcẽs, quod neque omiſsit etiam D. Solorzano *de Iure Indiar. lib. 4. cap. vnic. num. 35.* videndus etiam *tom. 2. lib. 1. cap. vnic. ex nu. 19. & 34.* Et in *Politic. lib. 6. cap. 3. pag. 495.*

IX. Apud Aragones vero, quod ad ſpartam noſtram propriùs facit, adeò id genus excellens, atque abundans ſalis ſemper habitum fuit, inter alia Hiſpanorum, quod ab Ariſtotele *Hiſt. anim. lib. 8. cap. 13.* Plinio *Hiſt. nat. lib. 9. cap. 15.* & *lib. 31. cap. 7.* Strabone *lib. 3. pag. mihi 145.* Solino *cap 22.* Alberto Magno *Hiſt. animal. lib. 7. cap. 7.* Lucio Marineo Siculo *lib. 1. de ſalinis Hiſpaniæ.* Gerundenſi in *Paralipom. Hiſp. lib. 1.* Pineda *de reb. Salom. lib. 4. cap. 14. § 6. num. 2.* Gerardo Mercatore *in deſcript. Hiſpan.* quam maxime laudatum, imò & à P. Delrio *in Præfat. ad Commonitorium S. Orentii Epiſcopi Illiberitani, fol. 7.* vbi noſtrum eum fuiſſe probaturus, locum S. Sydonii elegantem adducit *lib. 1. Epiſt. 12.* vbi Sancti doctrinam cum ſale Patriæ ſuæ non inſulsè componit, vt eleganter idem Bernardinus noſter Gometius *vbi ſup. dict. lib. 1. pag. mihi 97. num. 38.* id proſequitur, vbi locorum de *el Caſtellar*, ac de *Remolinos* in Cæſarauguſtanenſi tractu ſalinaria commemorans illis id omne tribuit, quod verbis quàm perſpicuis ingeminat, ſub hoc ſenſu: *Qua de cauſa ſtile quidem, atque optimà paſtorum ſolertià fieri exiſtimo, vt vituli Hiſpanienſes, qui in agro Cæſarauguſtano ad ripas Iberi amnis enaſcuntur, reliquos totius Europæ teneritate, & ſapore ſuperent. Habet enim Cæſarauguſta Vrbs Aragonum Metropolis et ſi mediterranea inter tam multa, atque præclara ſuæ laudis inſignia, peculiaria quædam ornamenta, quibus ſe cæteris totius orbis Ciuitatibus iure exæquat, idque non ſolam Religione, legibus, inſtitutis, ac moribus, & auguſto nomine, ſed etiam rerũ cælo, ſitu, ambitu ædificiorum, ſplendore, rerũ affluentia, cum ſumma agri fertilitate populique tum multitudine, tum ſtatu tranquillo.* Ve-

Verum inter ea, quibus excellit, id habet præcipuum, quod tertio ab ipsa milliario situs est natiuus mons fossilis, atque petrei salis (vulgo dictus Remolinos*) copia & nitore, sed potissimum sapore omnium Europæ suauissimi, atque præstantissimi. A quo etiam vniuersis ciuibus, statuto quotannis die (quod regia dignum est munificentia) vnicuique gratuitò quantum opus est salis asportare licet. Quo vescentes Cæsaraugustani non solùm sibi corpora condiunt suauissimè, sed etiam ab eo fortè condimento emanat, vt in festiuissimos & lepidissimos animi sales pene omnes ferantur. Nam dici vix quidem potest, quàm sint in ea vrbe, vel rustici rerum omnium imperitissimi, naturà dicaces, & ad iaciendum scommata & permiscendos sales inter dicendum aptissimi. Ab eo igitur monte saxeæ quædam salis glebæ extrahuntur, quæ lactantibus vitulis, dum in stabulis tenentur, obiiciuntur, vt illas toto eo tempore lingant, quo matres pascentes absunt; quo linctu gustu vehementer excito sic inhiant matrum vberibus, vt ea, plenissima licet, cùm audacissimè sugant, tum eo alimento ad humanum cibum, & temperantissimi & suauissimi fiant.* Hæc ille; quæ & si longiora tamen alicui videbuntur, nolui tamen in charissima Patriæ gratiam non ex integro ex scribere.

X. Cæterum enim harum etiam earumdem salinarum memores quoque sunt Carbonellus *Hist. lib.* 1. *cap.* 16. P. de Roa *Antiquit. Malacit. cap.* 1. *fol.* 4. pleniusque describuntur à Murillo *de excellent. Cæsaraugust. tract.* 2. *cap.* 2. *fol.* 10. vbi eas esse ait: *Vnos grandes montes de sal, que los vàn minando, dexando de trecho à trecho algunos pilares de la mesma sal muy gruessos, para que en ellos se sustente el monte; y entre los pilares ay anchurosas plaças, i calles, por donde andan los que vàn rompiendo con picos de yerro; i de aqui viene, que como la mina es tan grãde, es tambien grande la abundancia de sal que se saca de ella: i assi, ninguna otra le excede en la abundancia. En el color es clara, i transparente como el cristal, i despues de molida es blanca como la misma nieue, de suerte, que tampoco en el color puede auer otra, que le haga ventaja; i lo mismo podemos dezir de el sabor que tiene, porque à las cosas que se salan con ella, las dà vn suauissimo gusto, con que despierta el apetito del que llega à gustarlas, por no tener sobrada acrimonia, i mordacidad como otras sales.* Id ab omnibus additur, quòd earũdem salinarũ de causa priùs *Saldubæ, Saldubiæ* ve nominibus Cæsaraugusta nominata fuit, quousque ab Augusto Cæsare auctà & multis modis amplificatà integrum sui nomen eidem imposuit; quemadmodum à vetustis auctoribus cognominatur Plinio *Hist. lib.* 3. *cap.* 3, Pomponio Mela *de Situ orbis, lib.* 2. *cap.* 6. ac Ptholemæo *in Prouincia Tarraconensi*, & si eximius ac etiam noster Antonius Augustinus *in Dialog.* 6. *pag.* 257. dicat id à se tantùm apud Plinium lectum; quod adductis Melæ, ac Ptholemæi laudatis supra locis reprobat satis Antecessor noster Dom. D. Hieronym. Ximenez de Aragues *vbi sup. num.* 5. *&* 6. vbi nouiores eadem de re Scriptores iungit, & quod eadem Salinaria ista sint, quarum ipse Marinæus *lib.* 1. *tit. de Salinis Hispaniæ*, *p. m.* 298. memor fuit, & si falso asserat eadem in Ripacurtiæ Comitatu contineri, cùm tamẽ huius generis aliæ in toto Regno Aragonum nullibi sint, vt ipse testatur, *vbi supra*, §. 10. *num.* 5. atque Regii Dominii esse, & abundantes adeô vt solutis quotannis ex illis plus quàm quingentis & quinquaginta Caficiis, quæ Regis iussu sanctis Ecclesiis, sacris domibus, locis, ac Consiliariis Regiis penduntur (quos inter tres mihi, vt Baiuliæ Generalis Assessori Ordinario dãtur) quadraginta & septem mille aurei ab earum Publicanis Regio ærario suo tempore soluerentur, vt ipse testatur *dict.* §. 9. *à num.* 31. *vsque ad* 48.

XI. Sunt igitur præterea plures aliæ Salinæ aquatiles in Regno, quarum dominium ad priuatos, vel ex priuilegiis Regum, vel ex eo quôd in eorum fundis nascantur, pertinere dignoscitur, quas inter primum obtinent locum, quæ in Territorio Villæ *de Nabal* exoriũtur, & priuati eiusdem Villæ patrimonii sunt, Secundum verô quæ in Oppido *de Armillas*, sed non illius ditionis, verùm Ciuitatis Turoli audiunt, quarum, nec minùs elegantem quàm de allatis suprà memoriam facit Bernardinus etiam idem Gometius noster *vbi sup. dict. lib.* 2. *num.* 37. *p. m.* 264. vbi de primis sic: *Sicque apud Oscenses, in Tarraconensi Prouincia non longè à Pyrenæis montibus similes puteales Salinæ sunt, quas vulgo vocant Nabalicas. In quibus ab educta sals à è puteis concrescens sal quasi purpureis violis circumflorere videtur, non enim colore modo, sed odore etiam violaceo refertum est, atque aliorum quorumvis salium, quibus abundant incolæ, suauissimus ac perfectissimus habetur. Verumtamen hi salsi fontes maxima ex parte aut ad putei modum sunt inclusi, vt semper aquarum copiam suppeditare possint, ita vt excavatà prope terrà in fossas recipiatur salsa, indeque suapte sponte feratur in subiectas areas; aut re vera sunt putei in profundum scaturientes.*

XIII. Ac statim de secundis: *Prioribus similes sunt Salinæ, quas vidi antiquissimas (sacras vocare soleo) in Hispania sub Conventu*

Cæsaraugustano iuxta Montalbanum insigne Aragonum oppidum. Hæ namque proximæ sunt oppidulo cuidam, quod vulgo vocant Armillas, *quasi* Halmyrillas, *hoc est* Salinulas *è græco Halmyro, quod est salsum, à Græcis olim vetustissimis Hispaniæ cultoribus imposito, atque hactenus retēto nomine. Has ergo fons salsus efficit, ad radices parui montis effluens, qui latis quibusdam foueis exceptus, inde vero per areas laterício substratas pauimento diffusus, cùm primùm rore cœli aspergitur, in candidissimum & suauissimum salem concrescit. Quem idcirco sacrum appellamus, quòd totus ille proueniens ex sale census alendis Christi pauperibus impenditur apud Turolium, vrbem eiusdem Conuentus perinsignem, ad quam eiusmodi salinæ pertinent.* Quarumque etiam memoria extat apud Antecessorem nostrum D. Ximenez de Aragues *vbi sup. dict.* §. 10. *num.* 7. 8. 9. & 10. vbi recenset opida, locaue quibus vel ex priuilegio aut consuetudine immemoriali eiusdem salis vtendi fruendi facultas est.

XIII. Suntque etiam tandem plures aliæ Salinæ & ipsæ aquatiles, quæ ad eorūdē locorum dominiū, vbi nascuntur, pertinent; de quibus omnibus dapsilê idem Antecessor noster D. Ximenez de Aragues *vbi sup. dict.* §. 10. quales nempe sunt illæ locorum *de Peralta de la sal*, de quibus *num.* 11. *De Chiprana*, de quibus *num.* 16. Aliæ vero, quorum Domini ab ipso non laudantur, bene verò districtus, qualis sunt plures locorum de *Burjaraloz*, de quibus *num.* 15. de *Estadilla*, de quibus *num.* 17. de *Clamosa*, de quibus *num.* 19. de *Calasanz, Agilania, y Tusca*, de quibus *num.* 20. de *Salinas*, de quibus *num.* 21. de *Vadres de Lerda*, de quibus *num.* 25. ac *de Roiuela, Baltablado*, & *Fuen del Mançano*, de quibus *num.* 30. Aliæ, quæ Domini Regis fuerunt, hodieque ad priuatos spectant vt sunt illæ de *Arcos*, & *Gallear*, quæ hodie Turolensis ditionis siuê Communitatis, vt vocant, sunt, de quibus *num.* 12. 13. & 14. De *Nuebalos*, quæ hodie sunt Regalis Cœnobii Sanctæ Mariæ de Petra Ordinis Cisterciensis, de quibus *nu.* 26. & 27. Ac tandem aliæ, quæ priuatorum hucvsque fuere, veluti *Licastrillenses*, de quibus *num.* 16. de *Gratal*, de quibus *num.* 22. de *Escalante*, de quibus *num.* 23. De *Aguero*, de quibus *num.* 24. De *Alpeñes*, de quibus *num.* 28. de *Ojos negros*, de quibus *num.* 29. de la *Fuen Santa*, de quibus *num.* 31. de *Mançanera*, de quibus *num.* 32. ac *de Sastago* & *Pina*, de quibus *nu.* 33. Adeo abundans salis salinarumque hoc Regnum nostrum est. Atque ita non modica illius pars in Galliam defertur, præsertim ex Licastrillensibus & Clamosanis, vt Antecessor noster Dom. Ximenez *vbi sup. num.* 18. & 19. animaduertit, & generaliter ex Hispania ad Galliam Damianus à Goes *in sua Hisp. tom.* 1. *Hisp. illustrat. p.m.* 1168. Licêt aliqui eiusdem Regni loci sale etiam extero vtātur ob maiorem nempe illius vicinitatem, veluti Dertusensis, de quo etiam idem Miedes noster *vbi sup. dict. lib.* 2. *num.* 83. *fol.* 265. & notatur ab oculatissimo Antecessore nostro, *vbi sup. num.* 34. Et videtur de posterioribus hisce Forum nostrum esse intelligendum, quod veluti in transcursu etiam dixit Dominus Antecessor noster *vbi sup. num.* 28. dum omnibus Infantionibus habētibus salinas hoc sal, quôd illis more solito vtantur, nouiter permittitur; quippe qui hæc vna ex præcipuis petitionibus, quas Regi in Cæsaraugustanis Comitiis anteactis fecerant, dignoscatur: *Pidiendo, que fuesse permitido à los Ricos Hombres, Caualleros Infançones lleuar por la Tierra de el Rey, i vender su sal*, vt testatur Surita *Annal. dict. lib.* 3. *cap.* 66. licêt tunc tantùm illis responsum ab Rege fuisset: *Que en quanto à la sal de los Ricos Hombres se guardarian los Priuilegios à los que los tuuiessen de el Rey, ò de sus Predecessores*, vt idem Surita, *ibidem*, quoque scribit. Verùm deinde pôst hisce Exeanis Comitiis omnibus Infantionibus fuisse indultum, vt qui haberent salinas, siue sal, illis more solito vterentur, Forus hic noster loquitur, cuius causa ea quæ supra dedimus scripsisse sit satis, alia alibi daturi; addito nunc tantùm ad materiæ illustrationem Gaspare Klochio *de Contribut. cap.* 1. *num.* 116.

DE PROHIBITA INQVISITIONE.

TITVLVS III.

IX. In noviss. Compilat. XLIV. Concordant huic quoque *in Priuileg.Gener.§.Itemque Inquisicion*, Ann. 1283. Et *in Declarat.eiusd.§.Primeramente*, Ann. 1325. Et similis Tit. *de Prohibita Inquisitione*, Ann. 1381. Et Tit. *De Inquisitione facienda contra Officiales*, Ann. 1436.

PARATITLON.

INQVISISITIO *hic* idem, quod *Pesquisa* sup. *Foro 1. de Testibus*, Ann. 1247. de qua nunc tantum agitur. Prohibetur inter Richos-homines, Milites ac etiam Infantiones Aragonum *For. 1. infra*. Inter omnes, atque omni de causa, ipsa illiusque progressus in *For. Priuileg. Gener. §. Itemque Inquisicion*, Ann. 1283. & loco illius *Denunciatio* in falsæ monetæ crimine subrogatur, & procedendi in ea forma traditur. *For. Declarac. Priuileg. Gener. §. Primeramente*, Ann. 1325. Contra Iuratos, Almudazafos, & alios Officiales Ciuitatum, Villarum, & locorum Regalium, & aliorum locorum dicti Regni, Fori *Inquisitionem fieri prohibentes* laudantur *For. Gratum hoc tit.* Ann. 1381. in quo primùm rubrica ista concepta fuit. Contra Officiales tam ordinariam quàm delegatam iurisdictionem exercentes in Regno post triennium ab Officiorum suorum vacatione fieri vetatur; & ne ipsi eà pendente ab Officiis suis, nisi cum illis sint in totum, iure medio, spoliandi, submoueantur. *For. Cerca las Inquisiciones de Inquisic. fac. contra Offic.* Ann. 1436. Et contra horum Fororum modernos violatores graues pœnæ sanciuntur, *For. de poco tiempo acà, h.t.* Ann. 1442.

Prohibetur Inqvisitio *inter Richos-Homines, Milites, ac etiam Infantiones Aragonum.*

ITEM [1] Statuimus, Quòd nec successores nostri habeamus, nec possimus facere inquisitionem super Richos-homines, neque super Milites, neque super Infantiones de Regno Aragonum.

RE-

RELATIO QVA VTIMVR. *Item*, ⋆ *quòd ipse, nec successores sui habeant de cætero Inquisitionem, nec possint eam facere inter Richos Homines, Milites, & Infantiones Aragonum.*

NOTÆ.

⋆ Forus 1.*eod.tit.* in nouiss. Compilat. *lib.9.tit.44.fol.178.col.3.* & de eo Surita *Annal.dict.lib.3.cap.67.* non autem *in Ind.Lat.* vt neque Gometius, & Blancas *vbi sup.* vel Fratres de Bardaxi quorum *Commẽtaria* ad eundem non perueniunt. Fit tamen de hoc memoria etiam *in §. Itemque Inquisicion,* Fori *Priuileg. Gener.* Ann.Chr.1283. vbi & nos quoque latius.

1. Caput hoc in originali horum Fororum Compilatione tertio loco adest: vnde meritò etiam & à nobis hoc tertio Tit. debuit collocari.

COMMENTARIVS.

I. DE Prohibita *Inquisitione,* siuê *Pesquisa,* vt in *For.1. de Testibus*, ann.1217. (Latinê minùs quàm Hispane dicitur, quòd ex *l.1.tit.12. partit.3.* iam ibidem notauimus) Forus hic est. Eoque *Inquisitio* ipsa (sic ab *inquiro,* verbo, quasi *intus quæro*, vel *valde quæro* dicta, cùm particula *in* augeat natura sua verbi significatum, quod ex *l. Gallus, §. in illo,* verbo *Indificilis, ff. de liber. & posthum.* passim notari solet) iterum prohibetur, sed nunc tantùm inter Richos Homines, Milites ac Infantiones Regni; quippe quasi id non solùm *propter Tributum debitum, de decem solidis, & vltra* de quo in *dict. Foro 1. de Testib.* iam diximus, sed in atrocioribus etiam quibuscumque criminibus, vel nimis ocultis, ideoque difficillimæ probationis, ea generatim quæ in *l.3. dict.tit.17 partit.3.* quinque rantummodo annis ante istum Forum, i.e. Ann. Dom. 1260. ab Alfonso Castellæ Rege, ac genero Iacobi nostri lata, ad amussim exprimuntur, tunc à Iacobo ipso insolitum esset; quod tamen velut nimis acerbum, & ab Aragonensium libertatibus alienũ indignati Proceres, inter alia quæ dicto Iacobo Regi, eo quo supra diximus ardore, obiecerunt, & istud fuit: *Que se hazia Pesquisa, è Inquisicion en el Reyno, siendo contra Fuero, i contra la costumbre de Aragon,* vt Suritæ verbis *Annal. lib.3. cap.66.* id repetam: quibus de generali, quoad personas criminosas inquisitione, speciali vero quo ad delicta, vel ê contra, de qua in specie, *l.3, §. si Tibi iudic. ff. de condit. ob turpem caus.* secus de generali, quoad personas & delicta, de qua *in l. congruit, ff. de offic. Præsid.* vel speciali tam quo ad delicta, quàm quo ad personas, de qua *in l.2. §. publico, ff. ad leg. Iul. de adulter. l. ea quidem, C. de accusat.* quæ statæ, stabilitæque Inquisitionis species sunt, locum fuisse facile credam. Cum enim Arnaldus ipse, quem supra diximus Peralta, Cæsaraugustanus Antistes, exprobrantis potius quàm concedentis in modum, & quasi quid ab ipsis peteretur nescirent, obiiciẽtis, teste eodem Surita *dict. loco* dixisset: *Que en el agrauio que se pretendia por razon de las Pesquisas, è Inquisiciones, respondia el Rey, que si los Caualleros de Aragon querian, que en casos de traicion, ò en cosas semejantes, mal hechas, no se hiziesse Pesquisa, que la dexaria entre ellos,* eam hoc tandem Foro ad eorum preces, & voluntatem vetuit; sed inter eosdem tantùm Richos Homines, Milites ac Infantiones, nullaque inter illos limitationis antiqui Fori mentione facta; quibus tamen eãdem aduersus quoscũque alios Regni accolas, indigenasque formauisse, obliteratà penê, contrarià consuetudine antiqui Fori sententia dicendum videtur, cum exceptio in contrarium faciat firmetque regulam, *l. non quod liquidè, §. fin. ff. de penu leg. l. Tribunus, §. vlt. ff. de testam. milit. l. cum Prætor. in princip. ff. de iudic.* Omnes *in l.1. de reg. iur.* Sed cum deinde adhuc sæculo fermê pôst omnino prohibita fuerit medio Foro, *Priuileg. Honor.* Ann. 1283. hinc est quod Fori istius nulla mentione facta, eoque *lib.9. tit.44. de prohibit. Inquisitione, For.1. fol.178. col.3.* inter nouissimà compilatos tãtum relato, rem hanc in cæteris longe latequê prosequantur Pragmatici nostri, vbi & Nos quoque plenius eadem de re, si Deus volet, dicemus.

DE

QVOMODO QVIS DEBEAT SVAM INFANTIONIAM SALVARE.

TITVLVS IV.

VII. IN NOVISS. COMPILAT. III. Similis Tit. *Quomodo Quis debeat ſuam Infantioniam ſaluare*, Ann. 1300.

PARATITLON.

SALVARE INFANTIONIAM hic, idem quod *probare* hoc *For. vnic.* Quod duobus militibus *ex parte patris conſanguineis, iuratoribus* anteà fieri debebat, *For. Fatigatus* 4. *Tit. de Condit. Infantionat.* Ann. 1247. hodie verò eiſdem duobus, *ſiue ſint de parentela ipſius ſiue non*, hoc *For. vnic.* Rexque aduerſus eos, niſi periurii conuictos, nullam *retornam* habeat, i.e. nihil iuris aduerſus eos, *h. For.* & pro charta ſaluationis xxx. ſolidi Notario pendantur, *h. For.* Ac vide etiam de materia, *For.* 1. 2. 3. & 4. *h. eod. Tit.* Ann. 1300. in quo primùm Rubrica iſta concepta fuit. Et *For. vnic. Tit. de los Proceſsos de Infançonia*, Ann. 1585. Et *For. vnic. Tit. Que ſe admita probança contra las firmas de Infançonia comunes, i volanderas*, Ann. 1646. Et *Tit. de las Infançonias, i de el modo de probarlas*, Ann. 1678.

Duo Milites, etiam non conſanguinei, poſſunt Saluare *quemlibet Infantionem. Rex aduerſus eos, niſi periurii convictos, nihil mouere poteſt.* Salua *vnius ex Fratribus prodeſt cæteris. Et Chartis* Saluationum *Taxa imponitur.*

ITEM ¹ Statuimus, Quòd duo Milites poſsint ſaluare Hominem Infantionem, ſiuè ſint de parentela ipſius, ſiuè non; ita tamen quòd Dominus Rex habeat retornam in illos Milites, ſi probentur quod periuri ſint. Et quandocumque vnus frater fuerit ſalvus, omnes alii fratres ſint ſalvi. Et quilibet Infantio, qui tali modo erit ſalvus, ſolvet Notario pro Inſtrumento illius ſalvæ xxx. ſolidos.

RELATIO QVA VTIMVR. *Item,* ★ *quòd de cætero duo Milites poſsint ſalvare quemlibet Infantionem; aut ſit conſanguineus eorum, aut non: Et*

Do-

Dominus Rex nullum retornum habeat contra eos, quousque probentur periurii: & quando vnus frater fuerit salvus, quod omnes alii fratres sint salui, & quilibet Infantio, quando saluavitur, teneatur soluere pro instrumento saluationis xxx. solidos.

I. OBSERVANTIÆ. *Item [2] vnus solus miles non potest salvare pro Infantione, sed duo milites.*

II. *De [3] consuetudine Regni salva Fratris prodest Fratri, & omnibus descendentibus ex eo, & consanguineis germanis & omnibus descendentibus ex eodem stipite ex linea paterna illius qui saluam facit.*

III. *Item [4] pro Charta [5] salvationis non solvunt Curiæ Regis nisi xxx. solidos [6] iuxta dictum Forum, quam salvam debent facere iuxta Forum nouum editum Cæsaraugustæ.* [7]

NOTÆ.

* Forus 1. *hoc tit.* in nouiss. Compilat. *lib.7.tit.3.fol.129.col.2.* omittitur ab Historicis nostris *vbi sup.* agunt tamen de eo Molinus *in Repertor. fol.128.col.3.in fine, & 4.in princip.* & *verbo Infantio, fol.172.col.4.& 176. 177. & 178.col.1.* vbi Portoles latè *à num.96. ad num.108.* Ioan. de Bardaxi *in Commentar.* Dom. Sesse *decis.1.3.& 5. ferè per tot.* eoque corrigitur Forus *Fatigatus 4.tit.de proclamantib. in seruitut.* Ann. 1247. vt ibidem monui. Et de eadem materia sunt etiam Fori, *item quicumque*, eiusdem Anni 1247. qui in Ms. antiquis Codicibus sub *Tit. de pœnis For.2.* vt in meo, vel Tit. *anteced. de Receptatoribus lib.1.* sed perperam collocatus erat, vt notauit iam Bages *ad Obs. Item adueratio de salu. Infant. faci. dict. lib.8.* in editis vero melius sub Tit. *de condit. Infantionat. dict. lib.6. For.8.* de quo ibi dixi. Et For. *Finalis hoc eod. Tit.* Ann. Chr. 1300. de quo ibi dicemus.

1. Caput hoc in originali Fororum Compilatione quarto loco habetur, vnde hic à nobis meritò sub Tit. etiam 4. reponitur.
2. Obs. 19. *Tit.1. de Condit. Infantionat. lib.6.* & ad eam Bagius in *Glos. pag. m.*
3. Obs. 1. *Tit. de salua Infantionat. fac. lib.9.* & ad eam Bagius in *Glos. pag. m.* 346.
4. Obs. 15. *Tit. 2. de Priuileg. milit. & nepot. milit. lib.6.* ex Salanoua in suis Obs. Ms. desumpta, quam refert Blanca *in Commentar. rer. Arag. Tit. de Optimat. pag. m. 732. ad med.* Et illustrant Bages *in Glos. pag. m.* 240. Molinus *vbi sup. fol.128. col.3. in fin. & 4. in princip.* vbi Portoles *num.* 135.
5. *Carta.* Vide Mieres *Collat. 11. cap. 2. num.* 84.
6. *xxx. solid.* Idem cautum à Petro IV. Rege in *ordinat. Dom. Reg. cap. de Taxat. sigilli.*
7. I. c. Forum *fin. hoc Tit.* Ann. 1300.

COMMENTARIVS.

I. FORVS dicit: Duo Milites possunt saluare Infantionem siuè sint consanguinei, siuè non: Et Dominus Rex non habet retornam contra eos, donec de periurio fuerint conuicti: Et quando vnus Fratrum fuerit salvus, reliqui fratres erunt salui. Item quòd salua fratris prodest omnibus fratribus. Et pro Instrumento saluæ soluuntur xxx. solid.

II. Circa hunc Forum Quero. An Infantionia posit probari rectè per matriculam Confratriæ Infantionum? responde quòd sic, si cum tali matricula concurreret talis qualis possessio Infantioniæ iuxta notata per Deciũ *in Rubr. de fide instrum. num.* 18. Nam matricula talem præsumptionem inducit, vt fundatam habere videatur intentionem ille qui in matricula descriptus reperitur secũdum Bald. *in l.2.C. de sent.* Salicet. & Roman. *in l. Scriniarios, C. de milit. testam.* Bartol. *in l. petitione, C. de advoc. diuers. iudicior.* & *in l. matriculam, C. de agent. in reb. lib.* 12. & tradit Alex. *in d. l. Scriniarios*, & Moderniores in *Rubr. de fide instrum.* Decius *num.* 18. Angelus *cons.* 140. Quæ conclusio procedit in dubio: secus quando constat de contrario; nam tunc recedimus à præsumptione matriculæ, quia in claris non est opus coniecturis, *l. continuus, §. cum ita, ff. de*

de verbor. oblig. Et tali casu matricula nõ nocet, quia apparet de errore, & corrigi debet, vt notant Bald. & Immol. *in l. Quotiẽs, §. si enim, ff. de hæred. instit.* Dinus *cons.* 27. Vnde est quod per matriculam probatur quis esse Notarius præsumptiuê, ita vt fundatam habere dicatur suam intentionem ille qui in matricula descriptus reperitur, vt notat Decius *in Rubr. de fide instrum. dict. num.* 18. IOAN. DE BARDAXI.

III. Quatuor isto Capite circa modum auitam ingenuitatem probandi statuta fuisse, vel ipsius littera nos docet, ipsis etiam adhuc Richis Hominibus, Militibus ac Infantionibus Regni de Iacobo Rege quã supra diximus occasione arrepta, inter cætera quoque conquerentibus: *Que se hazian contrafueros en las saluas de las Infançonias*, quæ Hieronym. Suritæ *Annal. lib.* 3. *dict. cap.* 66. verba sunt; quibus id tantùm occulatissimus scriptor non omissit, sed neque vlterius illustrauit; altê etiam aliis, Gometio, Blanca, ac Ioanne Bardaxino, pænê dicam eadem de re allatis suprà locis, ac verbis, conticentibus. Etenim de vsitato hocce apud Aragones auitæ nobilitatis probandi more, patria voce *saluare*, id est contrariam iuris & de iure propriæ auitæque ignobilitatis præsumptionem purgandi, vt est apud Sessesium *decis.* 1. *num.* 38. notatissimo vsitatissimoque, iam satis, nisi fallor, ad For. *Fatigatus* 4. *Tit. de Condit. Infantionat.* Ann. 1247. inter nouissimê compilatos fuimus loquuti: cuius dispositionem, qua parte *Fatigatum pro sua Infantionia*, i. e. in ea, vel illius possessione, iurevê molestatum à quoquam, inquietatum, turbatum, *duos milites ex parte Patris consanguineos iuratores*, habere voluit, *qui tactis sacrosanctis Euangeliis ipsum assererent Infantionem, & si necessum esset, casale ostenderent, à quo sua procederet ingenuitas*, latius patere fecit, ante omnia, Forus iste, dum eo edictum fuisse satis perspicitur: *Quod duo milites possint saluare hominem Infantionem, aut sint de parentela ipsius, siue non*, quodque vel Iacobus etiam II. Rex, Iacobique istius nepos, alio Foro Cæsaraugustæ Ann. 1300. edito, deinde istius mentione facta, agnouit, confirmauit, stabilivit, vt in Foro *pen. hoc Tit. quomodo quis deb. suam Infant. saluar.* inter vltimo loco compilatos, de quo *ibidem* dicimus: id quod etiam Molinus ipse *in Repertor.* verbo *Infantio, fol.* 172. *col.* 4. & 178. *col.* 1. ac Glossulæ marginalis Fororum Scriptores in *dict. For. Fatigatus*, verbo *Consanguineus*, non in diligenter adnotarunt.

IV. Cæterùm nec dissimili modo, cùm in supradicto Foro *Fatigatus* scriptum etiam esset, *quòd si probatum fuisset milites iurantes falsitatem iurasse, amitterent ipsi & tota eorum generatio perpetuò libertatem*, vt suo etiam loco diximus, hoc quoque Foro cautum secundo loco etiam fuit, quôd idem *Dominus Rex habeat retornam in illos milites, si probentur periurii.* Vbi verbum *retornam* pro actione ipsa, iureuê, quôd ad Regem aduersus supradictos milites, quasi ex sponsu spectat, vt & ipsi atque tota eorum generatio suo casu, libertatem perpetuô amitterent, accipiendum, obiter animaduerti debet: imo & iure seueram hancce nimis pœnam tantùm indictam fuisse, cùm periurii *probentur*, i. e. *convincantur*, cum omni casu opporteat debitorem primo conuinci, & sic deinde solutioni succumbere, quasi id non tantùm iuris ratio, sed & ipsa æquitas persuadeat, vt Imper. Honorius, & Theodosius rescripserunt in *l. vnic. C. Theodos. & Iustin. de prohibit. seq. pec.* Iuris ratio videlicet, quæ dictat, vt Actor ante omnia intentionem suam, siue probet, siue adimpleat, *l.* 2. *ff. de probat. l. Actor. C. eod.* Æquitas, quia nulla permittit, vt commodum possessionis reo auferatur, vel ab executione incipiendo se ipse sua spolietur qui convictus, vel iudicatus non est; quod ante sententiam nec dici, nec fieri potest, *l.* 58. *ff. de re iudic. l.* 1. *C. de execut. rei iudic.* ac proinde defensionis facultatem dandam esse his, quibus aliquam inquietudinẽ Fiscus infert, cum res eorundem adhuc controuersia pendente inquietari describique fas non esse Imper. Constantin. Volusiano rescripserit *in l.* 7. *C. de iur. Fisci*, & ad rem proprius prosequutus est Dom. Reg. Sesse *decis.* 5. *tom.* 1. *ferè per tot.* & signanter *à num.* 36. vbi Fori istius verba hac in parte haud omissit.

V. Ergo his ita perstructis tertio in loco, & illud isto Foro constitutum fuit, scilicet quod *quandocumque vnus frater erit saluus, omnes alii fratres sint salui*, i. e. quôd purgata à fratre mediis militibus iuratoribus propriæ ignobilitatis præsumptione, vt iam diximus, cæteri omnes fratres ingenui pronuncientur, siuê sint ipso iure, & vt dicunt absque sententia hominis, ad notata vulgô in *cap. A nobis, de sentent. excom.* & *in cap. cum plantare, in fin. de priuileg.* & vtrobique Abb. tantùmque iudicis declaratione super eo facta, vt traditur in *cap. cum secundum leges de Hæretic. lib.* 6. quod & de iure esse etiam lato calamo scribunt Tiraquell. Otalora, Garcia, passimque alii *de Nobilitate* scribentes, primus nempe *cap.* 17. *num.* 3. & 37. *num.* 14. alter *part.* 2. 3. *part. prin. cap.* 8. *num.* 16. *fol.* 169. tertius *Glos.* 8. *num.* 4. & 5. penes quos alii & alii. Non vero Auunculi eorum, aut ipsorum filii, vt Dom. Eximino Petri de Sa-

Salanoua in suis *Obs. Ms. Obs. Item sciendum est, quòd salua Infantioniæ, quam aliquis fecit*, placuit, de quo mox.

VI. Quippe Fori nostri sententiã hac in parte neque clarissimus etiã vir ille, summusq; in Aragonia Iustitiæ Præses D. Sancius Eximini de Aierbe missam fecit, in suis quoque *Obs. Ms.* vbi istã possuit: *Item si vnus ex duobus vel tribus fratribus saluabit Infantioniam suam, quòd eius salua aliis prodest secundum Forum.* Et sequenti quæstione illustrauit: *Sed pone quòd pendente causa super salua Infantioniæ quidam Frater, qui saluauit Infantioniam, mortuus est, relictis filiis; quæritur numquid salua si fuerit facta, prosit illis nepotibus ex fratre mortuo? & dicimus quòd sic de Regni consuetudine, secus autem esset de pronepotibus, quia eis non prodesset.* Sed labante tempore etiam de consuetudine Regni saluam fratris prodesse fratri & omnibus descendentibus ex eo, & consanguineis germanis, & omnibus descendentibus ex eodem stipite ex linea paterna illius qui saluam fecit, vel *Obs.* 11. supra posita fidem facit, imo & Molinus ipse *in suo Repertor.* verbo *Infantio, fol.* 176. *col.* 3. vbi amplius ait die 16. Decẽbr. Ann. 1421. per Dominum D. Berengarium de Bardaxi strenuissimum quondam Iustitiæ Aragonum Præfectum, quo ad Infantioniarum saluas inter alia conclusum, *quòd non solum salua fratris prodest fratri & omnibus descendentibus ex eo, sed etiam salua consobrini germani, qui alias dicitur frater patruelis, qui sunt filii duorum fratrum, illa salua fratris patruelis prodest omnibus aliis consobrinis germanis, seu fratribus patruelibus & descendentibus ex eis, quod notandum pro extensione dictæ Obs.* 1. *de salua Infantionat.* Certê de istarum Conclusionum, siuê Determinationum Curiæ Dom. Iustit. Arag. vi, effectu, ac potestate iam alio in loco diximus, nunc tantùm addimus ad Molinum *ibidem*, qui & rursus etiam *eodem loco*, *fol.* 177. *col.* 4. *in fine*, hanc eandem rem tetigit, videndum etiam esse Hieronym. Portolesium *in Scholiis à num.* 96. *ad* 108. Vbi totam rem hanc longê latêque ex iure ac Regni praxi exagitat, extendit, restringit pariter atque illustrat, Petrũ Molinum *in sua Practic. Tit. de Proces. super probat. Infant. in princip. fol.* 268. *col.* 1. & 2. & post cæteros demum Fori istius haud immemorem Dom. Reg. D. Ioseph. Sesessium integra *decis.* 3. *Tom.* 1. vbi an sententia possessoria in causa nobilitatis, seu salua fratris prosit fratri, & eius descendentibus, & quibus aliis, & ad id pertinentia omnia, nouo acrique iudicio ad examen producit, Portolesii exemplaria penê taxans, & ad genuinam ipsorum sententiam, litteram etiam dicam, restituens, quem sat erit si consulas.

VII. Tãdem de quarto Fori capite, paucis illo constitui breuiter subiungimus, *quod quilibet Infantio, qui tali modo erit saluus, soluet Notario pro instrumento illius salua xxx. solidos.* Quod inter specialia eorum priuilegia quoque retulit allatus supra Dom. D. Eximinus Petri de Salanoua in suis *Obs. Ms.* vt Obs. 3. *supra* vidimus, cuius ex eodem Iustitia Salanoua memor est etiam idpm Blancas *in Commentar. rer. Arag. Tit. de otimatibus, pag. m.* 732. *ad med.* & ante eum Bagius *in Glos. pag. m.* 240. Imo & deinde hanc etiam Fori dispositionem Ordinatio Domus Domini Regis à Petro Rege facta, de qua suo etiam loco, *in cap. taxat. sui sigill.* confirmauit, nec dissentit Molinus *vbi suprà*, istius etiam Fori ad hæc memor, *fol.* 128. *col.* 3. *in fine, & 4. in princip.* Vbi & paulo antê quid in Curia Iustitiæ Arag. super hoc suo tempore seruaretur in praxi, neque missum fecit, sed immutatam iam tandem hanc etiam demum fuisse, & consuetudine aliter inductum, receptumque Hieronym. Portolesius *ad dict.* Molini *locum, num.* 135. satis superque ostendit, & quæ suo iam tempore tam in Regia Audientia quàm in Curia Dom. Iustitiæ Arag. solui consueuerant, ibidem scribit, vbi videri possunt; cùm ita & hodie adhuc etiam seruari acceptum referam.